omnium artium homo, ut perfecte Apoſtolum ageret: *Omnibus omnia factus, ut omnes facerem ſalvos.* (1. ad Cor. 5.) Se ſe militibus immiſcet; & cum illis conſueſcit; ut illorum juramenta, & blaſphemias in honeſta convertat ſolatia. Hunc inviſit urbanitatis colore, ut viam inveniat illi concubinarum ſeptum auferendi; alium videt alea calefactum & in periculo ſe ipſum cum pecunia amittendi, callide partes ejus ſuſcipit, ut Deo illius animam lucretur; & voti fit reus. Aliorum honeſtæ libertati ſe accommodat, aliorum mentibus leniter moderatur, & virtus illius, quæ nihil habebat ſeveritatis ejus, quæ mundum abſterret; juſtum invenerat temperamentum, quod ſcit cordibus dominari. Modo aliam induit perſonam, & in aula Regis Amangucii tanta cum majeſtate prodiit, ut hoc unum ſtratagema illi ſtuporem injecerit, eumque converterit. Modo hoc eodem conſilio ad viliſſima quæque miniſteria ſe ſubmittit, ut officiis ſuis eos ſibi captivet, cum quibus faciebat iter, ita ut illi his benefactis, & huic urbanitati nequeant reſiſtere. Hoc in loco militem refert, & crucifixum manu tenens præit exercitui tanta conſtantia, & fortitudine, ut pavidis ſpem addat, & in fugam convertat barbarorum manum, quæ ex improviſo ſuper Chriſtianos irruerat. Alias famuli gerit officium, ut in Japoniam ſibi aperiat viam. Proh Caritas; quam ingenioſa es! & quomodo cordi magno nihil eſt impoſſibile. Certe ſi S. Paulus exercens artes dicebat ſe factum eſſe ſpectaculum mundo, Angelis, & hominibus. *Spectaculum facti ſumus Mundo, Angelis, & hominibus:* (1. ad Cor. 4.) ego certe non dubito, quominus Cælum univerſum huic attentum fuerit ſpectaculo, cum Franciſcus noſter equitem ſequeretur; e tergo geſtaret ſarcinam illius; vel cum pedes ſuos inter ſentes, ſpinas, & lapides diſcerperet, & cruentaret; repens per prærupta montium; ſudore manans, & crebro anhelitu ſequens hominem, qui fuga ſeſe proripiebat ex manibus inimicorum; idque ut inveniret viam in illud Regnum eundi ad verbum Dei prædicandum. *Spectaculum facti ſumus mundo, Angelis, & hominibus. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Strenuus S. Xaverii zelus præſertim enituit in converſione eorum qui inſulā Mauricam incolebant.

Quondam prohibitus fuit Sanctus hic Apoſtolus, ne in Mauricam Inſulam tranſiret, quam incolit gens, quæ apud Barbaros ipſos habetur barbara. Regio montibus plena eſt, quorum plerique ignem, flammaſque evomunt, & veram inferni imaginem referunt. Incolæ ſunt dæmonibus magis, quam hominibus ſimiles; agri non niſi venenum ferunt, cujus uſus eſt adeo frequens, ut certent, uter prior alterum ſuſtulerit. Attamen illuc pergere vult Xaverius; ſed vita illius nimis pretioſa exiſtimatur, neque adeo manifeſto periculo objicienda: Mortis igitur pœna propoſita edicto cavetur, ne quis navem illi commodare, vel opem quomodocumque illi audeat afferre, illuc migraturo. Sed fruſtra; conſilium capit illuc potius nando commeare. Quid fecerit, neſcio, ſed generoſitas ejus acuit induſtriam. Effugit, illuc ſe confert, illis prædicat, mulcet illos Antropophagos, eoſque jugo ſubjicit Evangelico, citra quodvis periculum, unum illud ſi excipias, oculorum aciem amittendi præ gaudio, & conſolatione plorando. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Ejus confidentia in Deo inter pericula.

Crederetis ne Sanctum hunc Apoſtolum ex uno periculo elapſum; in aliud incurrere, ne ſibi deſit occaſio Dei Verbum ferendi, ubicumque crederet ſe Deo animas lucrari poſſe? Hoc liquet ex eo, quod illi accidit trajicienti Molucas inſulas, ubi tribus vicibus fecit naufragium. Tertio venti furor navim ſuam alliſit in ſcopulum, & fluctuum impetus, ejuſdem fragmina in omnes partes diſperſit. Xaveri, ubi es, cum intereunt omnia; In Deo eſt, & ſpiritus ejus immerſus in hoc perfectionum Oceano; neque miſeretur, niſi eorum, qui per mortem ſuam Evangelii lumine privandi ſunt. Cogitatio hæc efficit, ut pugnet contra fluctus, qui illum obruunt, atque deglutiunt. Vis conſilii ſui Elementorum vim ſuperavit; namque procella agitatus, ſpuma tectus, inter horrorem tenebrarum; tandem arripit navis tabulam in partes mille attritæ; favore cujus tres integros dies in Oceani ſinu permanſit; tanquam Paulus alter fluctuans ad ventorum arbitrium, quaſi tutus eſſet in hac tabula; quæ illi fuit pro navi, cujus Deus erat nauta; Dei magnitudinem admiratus in irato hoc elemento: *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* (Pſ. 92.) Adhuc fluebant ex veſtibus ejus aquæ naufragii; cum biduo poſt navim aliam conſcendit. Cor ingens, inſignis conſtantia, opus eſt, ut veſtræ magnanimitati omnia cedant. *Ibidem.*

Deus illi communicaverat donum miraculorum.

Si S. Xaverii fidelitas in prædicando ubique gentium Evangelio, omnino par eſt aliorum Apoſtolorum fidelitati; mirum eſſe non debet, ſi eumdem habuit eventum, & ſi Deus illi adfuit admirabilibus ſignis: Si enim hoc verbum in ore Apoſtolorum univerſalem habet in omnem naturam potentiam; hoc ipſum efficit, ut omnes Sanctum noſtrum admirentur. Terra ejus poteſtatem ſentit; reddens jam putreſcentia cadavera, ut hæc iterum lucem ſolis cum luce Evangelii intueantur; & proceſſus Canonizationis ejus memorat viginti quinque mortuos, quos Deus ad preces illius vitæ reddidit; inter quos tres ſunt, de quibus non licet ambigere; quandoquidem egreſſi ſunt de tumulo populo ſpectante: Mare illius imperiis paruiſſe videtur, modo procellis tumens, modo ad malaciam rediens; immo etiam recedens ad ejus arbitrium; quapropter qui erant in navi, hæc admirati portenta, exclamabant, quod olim accidebat videntibus Mundi Salvatorem: *Quis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?* (Matth. 8.) Alia miracula, quæ Deus adnectere dignatus eſt virtuti verbi ſui, adeo erant illi familiaria, ut ad illa obtinenda ſatis eſſet, ſi quis illis indigebat, ad eum nomine ſuo aliquem mittere. Ejus deprecatoria ſacrorum globulorum corona de energumenis dæmones extrudit; veſtis ejuſdem fimbriæ ægros conclamatæ ſalutis curat; ſolum manus ejuſdem ſignum pluſquam trecenta miracula operatur. Quælibet res, quam ille attrivit uſu, fit prodigiorum inſtrumentum, nec non totius populi felicitas, atque theſaurus. *Idem.*

Obduratiſſima corda flectebatur.

Si Divini Verbi in ore Apoſtolorum effectus fuit obduratiſſima quæque corda flectere, poteſtas hæc in S. Xaverio ita erat manifeſta, ut dixiſſes vim omnem, & efficientiam gratiarum Dei verbo prædicationis illius adhærere: ſæpiſſime enim unico verbo nequiſſimos peccatores convertebat, & nonnunquam etiam unico intuitu. Inter gentes adeo diverſas ſæpe locorum ſermonem ignorat, ſed ſignis, ac nutibus prædicat, & ſolus vocis ſuæ tonus Dei ſpiritu animatus movet mentes eorum, iiſque quæcumque ſibi placuerit motu imprimit, ideoque non cauſſatus ille ſermonis defectum, ut Moyſes, quia caritas, quæ omnium regionum eſt, in linguis omnibus exauditur, & immediate loquitur ad cor. Balbutit, & animarum millia convertit, ita ut de illo in hac occaſione dici poſſit, quod olim Sanctus quidam Pater de Sancto Paulo dixit: *Os toti orbi ſufficiens;* (*S. Hieron.*) videlicet quia os ejus ſolum par eſſe poterat erudiendo mundum univerſum, quia quod dicebat, acrem adeo impreſſionem gignebat, ut quemque maxime rebellem cogeret ad deditionem per verba, quæ pro corde potius, quam auribus facta videbantur.

S. Xaverius in novo mundo id fecit, quod Apoſtoli in antiquo.

Magnus divini Verbi effectus, prodigium prodigiorum, quod per illud fecerunt Apoſtoli, miraculum quod omnibus mentibus ſtuporem injecit, eſt Mundi converſio: dicere, quod duodecim pauperes piſcatores effecerint, ut totus terrarum orbis Religionem mutaret; hoc unum tantumque eſt credibilitatis Religionis noſtræ argumentum, ita ut nulla ſit mens rationis compos, quæ ſe ſe nequeat ſubjicere. Heu! quid diceres videns Xaverium unum tantumdem in orbe novo feciſſe, & noviſſimo ſæculo inſtauraſſe quidquid maxime mirificum in ipſo Chriſtianæ Religionis ortu contigerat? Ita poſt inſtitutam Eccleſiam, quod quidem opus Dei eſt; quodnam prodigium admirabilius eſt, quam videre, unum hominem plantaſſe fidem in Regnis centum, & ultra, recenſitis etiam ſexaginta illis Japoniæ; quinquaginta Reges, aut Principes ſupremos, & ultra convertiſſe, cum quinque millibus Bonzis, aut Brachmanibus, videlicet cum omnibus Orientis Sapientibus decertaſſe; Evangelium triginta & amplius linguis prædicaſſe; Filii Dei ditionem duo leucarum millia longius extendiſſe quam antiqui Geographi terræ oras extremas ſtatuerunt; manu ſua duodecim, vel quindecim decies centena animarum millia ſacro baptiſmate abluiſſe; ita ut inſignis quidam ſæculi elapſi Hæreticus hoc illi teſtimonium perhibuerit, quod quidem eo magis ſuſpicione vacuum eſt, quod ex inimici ore prodiit: Xaverium plures homines convertiſſe, quam quiſque viderit; idque intra ſpatium annorum decem, quibus illis in regionibus permanſit. Utrum admirabilius eſt pernicitas, an multitudo triumphorum? Una die tantum omnes baptizavit magnæ urbis cives, & opus erat, ut illius brachia tanquam alteri Moyſi ſuſtinerentur, quia præ laſſitudine illa non poterat ultra movere. O brachia millies glorioſiora, quam ſi totius mundi ſceptra geſtaſſent! brachia potentiora, quam illa omnium Monarcharum! brachia, iterum dicam digna quæ totidem palmas in Cælum ferant, quot ille peperit Eccleſiæ fideles! Libenter ſequor Summi Pontificis ſenſum, cui cum exhiberetur videndum brachium illud, quod Goa, ubi Corpus ejus adhuc totum eſt, Romam nuper delatum fuerat, accepit illud, & complexus eſt, & oculos attollens neſciebat, utrum Cælo, an terræ gratularetur; alteri quod tot recepiſſet animas, quæ ſine ejus ope interiiſſent; alteri vero, quod adeo locupletem theſaurum poſſideret. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Anacephaleoſis virtutu & actionum, quæ reddiderūt Xaverii mortē pretioſam coram Deo.

S. Xaverius immenſus erat in amore paſſionum, & laborum, cum de gloria Dei, & proximi ſalute egebatur. Quis recenſere poteſt Provincias, & Regna, quo lumen Evangelii attulit? Quis dicendo aſſequi poteſt, quid ille fecerit, & quid paſſus fuerit pro lucrandis animabus, eiſque ad Deum pertrahendis? Quis ſatis admirari poteſt animi illius magnitudinem in magnis operibus, quæ generoſe executus eſt? Ejus in Deo confidentiam inter pericula, quæ ſubiit? ejus patientiam in perſecutionibus, & contradictionibus, quas ſuſtinuit? mentis tranquillitatem, & cordis gaudium inter ea, quæ in natura ſunt maxime terribilia? Videte illum in immenſis Indiarum agris, quos pedibus emetitur; in Maurica, ubi puriores invenit Cæli delicias; in inſula deſerta, quæ ut vere dicam non eſt niſi horrens inferni imago: in Japonia, ubi coactus fuit famuli ſpeciem induere, ignorans, & vias, & linguam regionis illius; & ubi nihilo ſecius intra biennium Reges, & integra convertit regna, & Eccleſiam conſtituit, quæ hactenus de tot Tyrannis triumphavit, & Cælum tot Martyribus cumulavit. Denique videte illum in mari fluctuum arbitrio objectum, & fluctuantem ſuper putreſcenti tabula, quæ una ei reliqua eſt ex naufragio, & nihilominus adeo placatum, ac Deo ſuo conjunctum, ac ſi tutus eſſet in portu. In omnibus hiſce ſtatibus paſſionum

num magnus iſte Sanctus præſetulit fortitudinem, ac lenitatem æque admirabiles. Divina etiam Majeſtas illi omnia conceſſit dona maxime præclara, quibus Sanctos, qui præ ceteris enituerunt, ornavit. Hic enim homo erat qui quin unquam in ſe confideret, omnem ſpem ſuam in Deo uno collocabat; qui quin aliquid ſibi gloriæ verteret, omnia Deo referebat accepta; qui inimicus gloriæ ſuæ, immo ſuimet ipſius, in laboribus ſuis nihil aliud quærebat niſi laborem, in id unum intentus, ut Deus adoraretur, & diligeretur; qui denique in perfecta rerum omnium privatione, ad quam erat redactus, oſtendebat, quidquid mirabilius, & majus operaretur, effectum non eſſe prudentiæ, neque opulentiæ, neque humanæ potentiæ, ſed unice, & certiſſime opus Dei. *Ex Patre Novet, & Patre Bourdaloue.*

Narratio mortis ejus in cujuſlibet opis humanæ defectu.

Pulcherrima reliqua, quam nobis S. Xaverius reliquerit, eſt vitæ ſuæ exemplum, quam coronare voluit omnium virtutum generoſiſſima, videlicet ſubmiſſione divinæ voluntatis imperio, quæ illum mori vult non inter rotas & equuleos, ad quos inquirendos in Sinenſem regionem contendebat; ſed tanquam Moyſen in proſpectu hujus terræ promiſſæ, propter quam tot labores, ærumnas, naufragia, & pericula obierat. Hic procul dubio virtus illius vix conſiſtere potuiſſet, niſi fidelitas effeciſſet, ut ardentia Martyrii deſideria ſubjiceret Dei beneplacito, volentis ipſum mortem oppetere in inſula deſerta, ab omnibus derelictum, & omnibus carentem. Sancianum inſula vere felix, licet non aliam felicitatem habueris, quam experiendi noviſſima ſuſpiria, & extrema hujus Apoſtoli verba: Dic nobis quinam illius ſenſus fuerint per dies quatuordecim vehementiſſimæ febris; cum ſine alio Medico, quam nauta, ſine alio victu, quam ſiccis amygdalis, ſine alia domo, quam tugurio, homo ille a quo pendebat ſalus tot millium mortalium mori viſus eſt inter ſuos triumphos! Tacere non poſſum, & nullus dubito, hanc divinæ voluntati ſubmiſſionem, hoc tempore, hoc in loco, præ foribus tanti Regni, cujus victoria objectum erat ardentiſſimorum votorum illius, fuiſſe maximam ex actionibus ejus, & illi eſſe loco tot martyriorum, quot in ſingula momenta cupiebat; & credo illum præ pudore ita animam efflandi operuiſſe faciem ſuam; & in Cælum formoſiſſimam animam emiſiſſe, tot coronis, manubiis, pretioſiſque ornamentis onuſtam, quot animas illuc præmiſerat. Cur mihi non vacet loquenti de hoc Apoſtolo facere ſatis devotioni meæ, & dicere de eo quod olim S. Chryſoſtomus loquens de cariſſimo ſuarum affectionum objecto, incomparabili Sancto Paolo, dicebat; *Quis mihi cinerem de corde Pauli oſtendat: O cor Cælo ſublimius, orbe latius, radiis ſplendidius, igne validius, adamante fortius!* *P. Texier.*

Fructus, quos percipere poſſumus ex optimis S. Xaverii exemplis.

Ex admirabilibus vitæ S. Xaverii exemplis tres fructus percipere poſſumus: primum quidem inde noſmet erudiendi occaſionem aſſumere; ſecundo noſmet rubore ſuffundendi: tertio noſmet inflammandi. Si miniſter Angliæ e proteſtantium numero, qui Indias luſtraverat, in quodam ex operibus ſuis ſcripſit, Xaverii vitam adeo conſtanti cum virtute conjunctam fuiſſe, ac tanta cum miraculorum copia, quæ ſatis erat, ut eſſet credulitatis argumentum, quo quælibet mens (dummodo rationis particeps) de Chriſtianæ Eccleſiæ veritate perſuaderetur; quem ipſi, qui Catholici ſumus, ſenſum fovere debemus? Nonne Salvatori agendæ ſunt gratiæ, quod in lucem prodiderit famulum ita fidelem, ac pro ſua gloria indefeſſum? Nonne cum Eccleſia gratulari debemus, quod noviſſimis hiſce temporibus habuerit Apoſtolum adeo illuſtrem, atque perfectum? Præſertim vero nonne nobiſcum debemus gratulari, quod hic nobis contigit honos, ut in eadem ſimus Religione, in qua Magnus hic Thaumaturgus, hic magnificus mortuorum ſuſcitator? Quod documentum, & quæ confirmatio fidei noſtræ ſcire, virum hunc incomparabilem ejuſdem eſſe communionis cum nobis; illum conſecraſſe, ſicut Sacerdotes noſtri; & iviſſe ſæpe ad aram cum facie radiis undequaque fulgenti? *Idem.*

Pudere nos decet, qui adeo parum facimus pro Deo conſiderantes labores hujus Sancti, qui tanta fecit pro eodem.

Quodnam erubeſcendi ſimul etiam nobis eſt argumentum? Quo uſque nobis erit ſterilis Sanctorum admiratio? Eorum exempla *gravant audita, niſi ſuſcipiantur imitanda.* Quidquid nobis dictum fuit de Sanctorum virtutibus, S. Leo inquit, non proderit, niſi ut aliquando nos rubore ſuffundat, niſi profecerimus. Quam inſanus error Chriſtianorum ſæculi, qui fatentur admirabilem eſſe ſanctitatem, heroicam eſſe Sanctorum fortitudinem, ſatis celebrari non poſſe eorum zelum, conſtantiam, mundi contemptum; & nihilominus immorari in inani hac approbatione virtutis eorum, & permanere ſemper in hac vita prorſus humana, prorſus ignava, prorſus immerſa in corruptione naturæ. Heu! Numquid Xaverius alium adorabat Deum, alium agnoſcebat Salvatorem, aliud habebat Evangelium, ſpem aliam, & ad aliud Cælum tendebat? Attamen quodnam intercedit diſcrimen inter ea, quæ ipſe fecit, & facimus ipſi? Vixit ille propter amorem Dei ſui in motu jugi, nos vero in jugi otio marceſcimus. Ille cum agendum erat, propter Deum patiendum, expleri non poterat; nos vero procul vivimus ab iis, quæ ad pietatem pertinent. Vix gradum proceſſimus, cum tres recedimus; minima quævis, quæ nobis occurrat, difficultas nos moratur, & ſolus Crucis timor abſterret. *Idem.*

Qua in re peculiariter S. Xaverium imitari poſſimus?

Equidem ſcio ad Apoſtolum hunc imitandum, non omnes poſſe prædicare Evangelium, neque fidem inter Idololatras ferre: tamen ſciendum eſt, quemlibet eſſe poſſe Apoſtolum domi ſuæ ſecundum S. Ambroſii ſententiam, procurando converſionem illorum, qui ſubjecti ſunt, exemplo, conſiliis, & monitis ſalutaribus. Ita participes eritis hujus qualitatis, cum domeſticos, & eos omnes, qui vobiſcum conſueſcunt, vitæ veſtræ exemplo, ad virtutem formabitis; cum præ vobis feretis zelum ad prohibenda ſcelera iis in locis, in quibus aliquam obtinetis ſpeciem auctoritatis, cum omnibus artibus aliquid proximorum ſaluti conferre conabimini. Si nobis animus deeſt, & occaſio procurandi mortalium omnium converſionem cum Xaverio, ſaltem ſincere, & ex corde ſaluti noſtræ invigilemus. Magnus hic Sanctus non minus ſalutem noſtram deſiderat, quam Indorum, & barbarorum; & hodierna die, qua Deus vult poteſtatem ſuam æque effulgere, ac alio quovis tempore per admirabilem miraculorum numerum, quæ ſingulis diebus multiplicantur, & per omnium populorum devotionem, nullus dubito, ſi fidenter precibus noſtris ad eum confugerimus, fore ut nobis peculiares gratias obtineat in hac vita, ut poſſimus adipiſci gloriam, qua fruitur in altera. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

PRO S. NICOLAI MYRENSIS EPISCOPI PANEGYRICO.

MONITUM.

Quærenda non ſunt alia devotionis populorum erga S. Nicolaum, & ſublimis opinionis quam omnibus temporibus Eccleſia fovit ejuſdem apud Deum potentiæ, argumenta, quam intueri multitudinem templorum in illius honorem ædificatorum, & Fidelium in ejuſdem patrocinio confidentium. Hoc me impulit, ut materiem ad Sancti hujus elogium texendum congererem, qui in toto Chriſtiano orbe adeo celebris eſt; quia juxta conſtitutum a me ordinem hunc obtinet locum.

Ideo licet in ejus Panegyrico non attingere nequeamus locos communes cum de eorum officiis, qui in mundo vitam frugi, & optime inſtitutam ducere volunt, tum eorum, qui Domino miniſtrant, & ad præcipuas Eccleſiæ dignitates promoti ſunt (hi enim duo ſunt ſtatus, qui totam Sancti Nicolai vitam partiuntur, & in quorum ſingulis ſemper habitus fuit tanquam ſanctitatis exemplar) utrobique inveniemus, unde ejus elogio peculiaris tradatur forma, quæ illud efficere valeat Sancti hujus proprium, immo etiam præbere locum excurrendi per moralem diſciplinam, quam quilibet hominum poſſit in praxim redigere.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex forma Sermonum hujus Argumenti.

Talis decebat, ut eſſet nobis Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus. Ad Hebr. 7.

I. Hic eſt præcipuus character, quem Apoſtolus tribuit Incarnato Verbo, quod antonomaſtice vocat Pontificem, & Epiſcopum animarum noſtrarum. Hoc Elogium ab origine unum illum decet; unus enim ille ſanctitatem habet ex ſe, nulla fuit unquam labe pollutus, & omnino etiam a peccatoribus ſegregatus erat, quandoquidem mediator pro illis erat apud Deum per Pontificis dignitatem electus, & conſtitutus a Deo, ut illum hominibus conciliaret; ita ut, pergit Apoſtolus, neceſſe non erat, ut prius offerret ſacrificia pro peccatis ſuis, quod alii Pontifices faciunt, deinde pro populo; & eo uſque tandem infeſtiſſimos inimicos provocaverit, ut erga ipſum ſeveriſſimam exercerent cenſuram, ipſumque de peccato redarguerent. Hoc tamen non obſtat, quominus elogium hoc adeo proprium Salvatori, aliis etiam communicari poſſit hominibus; qui cum participes ſint Sacerdotii, & Pontificatus, participes quoque fiant innocentiæ, & ſanctitatis, ad obeundum rite divinum hoc miniſterium, quod hominem ſuper ceteros attollit, eumque mediatorem inter alios homines, Deumque conſtituit. Licet autem infiniti Pontifices

tifices fuerint, qui in dignitatis hujus partem acceſſerant, ut perennarent in Eccleſia ordinem, quem ipſe Dei Filius inſtituit; arduum eſſet unum reperire, qui eas poſſederit qualitates quas S. Paulus in Dei Filio deprehendit, melius, & eminentius, quam S. Nicolaus Magnus, quo nomine paſſim in Eccleſia Græca appellatur. Neque minorem illi cultum adhibet Latina; ſed hoc abſolutiſſimum illius erit Encomium, oſtendere adfuiſſe illi tres prærogativas, quas S. Paulus requirit in Pontifice, ut digne ſuo munere perfungatur.

1. Innocentiam, & horrorem peccati; quoniam ipſe debet eſſe mediator inter peccatores, & Deum.

Talis decebat, ut eſſet nobis Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus.

2. Dei vocationem, ut divinum hoc exerceat miniſterium, in quod ſe ipſum per ambitionem non debet obtrudere: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem; ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.*

3. Caritatem miſericordem, ut *poſſit condolere iis, qui ignorant, & errant.*

En quænam ſint dotes præcipuæ, quas S. Paulus in Epiſcopo, & Pontifice requirit, Innocentia, & ſanctitas, ut gregi ſuo præeat exemplo; Dei vocatio, ut in ſublimi hoc gradu, qui hominem ſuper alios attollit, propriam non aucupetur gloriam, ſed unice illam ſummi animarum noſtrarum Pontificis; ac tandem miſericordiam, & caritatem, quæ illum tenere erga populum ſuum zelo inflammet, ut infirmorum, ac miſerorum neceſſitatibus conſulat ea cura, quam Deus illi commiſit. Hæc ea ſunt, quæ vobis oſtendenda aggredior in S. Nicolao, & tres prærogativæ, quas in Magni hujus Epiſcopi vita conſiderabimus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

II. *Euge, ſerve bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam.* Matth. 25. Non levis mihi utilitas eſt, hodierna die de S. Nicolai Magni laudibus verba facturo, inſiſtere poſſe veſtigiis Patrum Sanctitate, & eloquentia præſtantium Eccleſiæ cum Grecæ, tum Latinæ, qui virtutum illius locupletiſſimum nobis elogium reliquerunt. Dico autem magnum hunc virum ad tantum meritorum cumulum evaſiſſe, & eminentes has adeptum fuiſſe virtutes, propter quas tantopere in Eccleſia refulſit per eam fidelitatem, de qua loquitur Jeſus Chriſtus: *Serve bone, & fidelis*; ubi triplex fidelitatis genus deprehendo, vel ut melius dicam, ille triplici in re ſuam fidelitatem oſtendit; quæ ſermonis hujus partitionem conſtituent, & quæ vobis occaſionem præbebunt attentius omnes vitæ illius partes conſiderandi, ut inde liceat deſumere documenta cuilibet hominum generi utilia.

1. Fidelitas, qua reſpondit primis gratiis, quibus illum Deus ab infantia prævenit.

2. Fidelitas in optimo uſu bonorum fortunæ, quæ a conſanguineis hereditatis jure conſecutus eſt.

3. Fidelitas in obeundis muneribus Epiſcopatus, ad quem illum evocaverat Deus. Fuit ergo Sanctus cum eſſet adhuc puer; ſanctior ætate provectior, & Sanctus perfectæ ac omnibus numeris abſolutæ ſanctitatis in extrema vitæ ſuæ parte, *P. Texier.*

III. *Talibus hoſtiis promeretur Deus.* Ad Hebr. 13. In veteri Teſtamento Judæi nonniſi per animantium cædem cum Deo in gratiam revertebantur, quorum ſanguinem ad aræ pedes effundebant ad peccata delenda; neque a Deo aliquid petebant, quod non cruentæ alicujus victimæ deſtructione redimerent. In novo autem Chriſtiani victimas habent innocentiores; & quemadmodum Filius Dei omnino ſatisfecit Patri per Crucis, & Altaris ſacrificium, nos nonniſi illud orationis, eleemoſynæ, & jejunii eidem offerimus. Tres hæ virtutes ſucceſſere in locum victimarum antiquarum, & earum merita obtendimus aliquid a Dei miſericordia impetraturi. *Talibus hoſtiis promeretur Deus.* Hac arte innocenti uſus eſt ille, cujus feſtum hodie recolimus; verum quippe eſt totam illius vitam fuiſſe ſacrificium, quod continenter obtulit Æterno Patri tres haſce hoſtias, quarum meritis illius miſericordiam conſequitur.

1. Jejunium, quia illud a teneris uſque unguiculis ſervare cœpit.

2. Orationem, quia totus vitæ illius curſus fuit jugis oratio.

3. Eleemoſynam, quia nullam ſibi elabi paſſus eſt occaſionem opem ferendi pauperibus, & ægris, cum in iis quæ ſunt ad corpus, cum in iis quæ ſunt ad ſpiritum neceſſaria. *P. Senault Presbyter Oratorii.*

IV. *Dedit illi Deus ſcientiam Sanctorum.* Sap. 10. Sanctitas tribus prætertim in rebus conſiſtit; in perfecta abnegatione, in intima unione cum Deo, in munerum ſuorum executione. Magnus Nicolaus, cujus hodierna die memoriam Eccleſia recolit, tribus hiſce officiis perfunctus eſt:

1. Vixit in perfecta temporalium bonorum abnegatione, ut liberius Jeſu Chriſto ſerviret.

2. Toto vitæ ſuæ ſpatio intime adhæſit Deo, quoniam vita ejus jugis fuit mortificatio, & non intermiſſa oratio.

3. Perfecte omnia Epiſcopatus obiit officia, cum non gregem ſuum tantum, ſed Eccleſiam univerſam bonis exemplis ædificaverit; cum verbi panem fidelibus Eccleſiæ ſuæ diſtribuerit, & pauperibus abunde ſuppeditaverit neceſſaria, eos nutriens eleemoſynis, quemadmodum verbis nutrierat. *Reſerus Auctor.*

V. *Illi viri miſericordiæ ſunt.* Eccli. 45. Cum miſericordia præ reliquis virtutibus in S. Nicolao enituerit, fert animus illum vobis ſub uno titulo: *Viri miſericordiæ* producere; hæc enim virtus illius ſanctitati majorem decorem afflavit. Dico igitur triplex eſſe genus eorum, qui mundi poſſident divitias, & qui de illis diſponere poſſunt; divites ſæculi, & magnates; illi, qui Eccleſiaſticas poſſident dignitates; & Sancti, quibus dignatus eſt Deus miraculorum donum largiri. Divites mundi bona poſſident prorſus humana, ac temporali potentia: Eccleſiaſtici illa poſſident jure mixto potentiæ temporalis, ac ſpirituali: ſed Sancti de illis poſſunt diſponere per ſupernaturalem, miraculoſamque potentiam. Tres hæ prærogativæ in S. Nicolao conjunctæ refulgent: Fuit dives, fuit Epiſcopus, fuit Sanctus.

1. Quatenus dives terræ bona poſſedit jure mere temporali.

2. Quatenus Epiſcopus illa poſſedit jure mixto, temporali ſimul, & ſpirituali.

3. Quatenus Sanctus poſſedit illa poteſtate miraculoſa, cum de illis diſponere poſſet in uſum miraculorum. Hæ tres poteſtates fuere materia miſericordiæ, & inſtrumenta caritatis illius. Sic dives fuit, Epiſcopus, & Sanctus; hæ qualitates illi profuerunt, ut adquireret, ac tueretur titulum viri miſericordiæ: *illi ſunt viri miſericordiæ*, quem titulum adeptus eſt ſub hoc triplici capite, quod erit elogii ipſius argumentum. *Biroat.*

VI. Sumptis pro Themate verbis illis: *Tanquam prodigium factus ſum multis*, Pſal. 70. obſervanda proponi poſſunt tria magna prodigia in vita Sancti Nicolai, quæ in alterius cujuſpiam Sancti vita non videntur.

Primum, quod a teneris unguiculis Deo ſervire cœpit, cum alii per ætatem nondum pares ſunt ei cognoſcendo.

Alterum, quod toto vitæ ſuæ curſu baptiſmi innocentiam ſervavit; quod haberi poteſt tanquam miraculum, præſertim vero ſi ratio habeatur conditionis ipſius, divitiarum, & commodorum vitæ, quibus Sanctus hic frui poterat, & quibus carere voluit.

Tertium, opum contemptus, & animus a terræ hujus bonis avulſus, quem Sapiens reſpicit, & commendat tanquam omnium miraculorum maximum. *Quis eſt homo, qui non ſperavit in pecunia, & theſauris? Quis eſt hic? & laudabimus eum: fecit enim mirabilia in vita ſua.*

VII. Sanctus Nicolaus vixit in duobus Eccleſiæ ſtatibus diverſis in gradu adeo eminenti, ut illius bona, & mala magis illum movere deberent, quam ceteros fideles. Attamen neque illius adverſa, videlicet perſecutiones, ejus conſtantiam labefactare potuerunt; neque proſpera, videlicet tranquillitas, & pax, quæ Sancti hujus ævo florere cœpit, illum potuerit ab æqualitate priſtinæ vivendi formæ dimovere; ita ut de illo dici queat:

1. In priori Epiſcopatus ſui parte invictam præ ſe tuliſſe patientiam.

2. In poſteriori autem incredibilem moderationem. *Ogier.*

VIII. Pro argumento ac diviſione Panegyrici Sancti hujus deſumi poſſunt verba illa; *Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inventus eſt juſtus: & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio.* Eccli. 24.

1. In diebus innocentiæ, & pietatis ab ipſa pueritia placuit Deo.

2. Et inventus eſt juſtus coram Deo per Eleemoſynas, & ceterorum bonorum operum praxim.

3. Et in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio per ſanctitatem, & potentiam ſuam apud Dominum, flectens iram Dei, ſervans pacem, & ſopiens omnes diſſenſiones, quæ divinæ majeſtatis iram promerentur.

PARAGRAPHUS II.

Fontes unde hauriri poteſt copia ad propoſitas Sermonum ſtructuras exornandas; & Auctores, qui de illo agunt.

Sancti Patres aliique ſummi viri.

SAnctus Bernardus in Sermone de S. Nicolao, pulcherrimum habet hujus Sancti viri elogium; ubi oſtendit quantum gratia poſſit apud Deum, & quomodo ubique colatur, & invocetur.

S. Petrus Damiani & ipſe Sermonem habet hujus argumenti, tomo ſecundo, quem aliqui tribuunt S. Bernardo.

S. Bonaventura duos habet, in quorum primo oſtendit S. Nicolaum fuiſſe perfectum Jeſu Chriſti imitatorem. In altero vero, verum fuiſſe Dei ſervum.

S. Thomas Aquinas in ſermone, quem in feſtum Sancti hujus diem elucubratus eſt, oſtendit illum propter eminentes virtutes ſuas eſſe commendabilem, & propterea quod perfecte omnia vocationis ſuæ officia repleverat.

Albertus Magnus in Sermone in feſtum S. Nicolai diem pro themate illa ex duodecimo Lucæ capite verba mutuatur: *Beati ſervi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.*

Guillelmus Pariſienſis duos habet de hoc Sancto Sermones, in quorum primo oſtendit in quo potiſſimum illum imitari debeamus; in altero de rebus variis agit ad Sanctum hunc pertinentibus.

Gerſon ſermone de S. Nicolao pro textu aſſumit verba illa ex Pſalmo primo ſupra viceſimum: *Spes mea ab uberibus matris meæ*; & latius proſequitur Sancti hujus laudes & merita.

Dionyſius Carthuſianus duos habet ſermones de hoc Sancto, & epiſtolam, ubi illum proponit tanquam exemplar virtutum, quæ Sacerdotes, & Epiſcopos decent.

S. Thomas Villanovanus duos & ipſe habet hujus argumenti Sermones, in quorum altero loquitur de exemplo quod nobis reliquit virtutum ſuarum; in altero vero per occaſionem eminentis ſanctitatis ejuſdem loquitur de conditionibus ad ſanctitatem adquirendam neceſſariis:

Côcionatores nuperi, & libri alii, ubi inveniri poteſt copia, vel loci communes ad hoc argumentum ſpectantes.

Biroat tomo primo Panegyricorum

P. Senault tomo primo.

P. Texier tomo primo.

P. Duneau tomo tertio.

Auctor Sermonum in omnia argumenta. Tomo primo Panegyricorum.

Ogier tomo primo Actionum publicarum.

Godeau in Elogiis Epiſcoporum, unum habet in laudem S. Nicolai.

P. Petin vitam ejus luculentiſſime latino ſermone conſcripſit.

P. Mathias Faber *in Actuario* plures habet de hoc Sancto ſermones.

Engelgrave in tertia ejus libri parte, cui titulus, *Cæleſte Pantheon*, plenus eſt locis communibus hujus argumenti.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, figuræ, & applicationes Bibliorum huic argumento.

Quidam loci, qui huic argumento convenire poſſunt.

ECce Sacerdos magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inventus eſt juſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. Eccli. 44.

Bona eſt oratio cum jejunio, & eleemoſyna. Job 12.

Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis. Eccli. 29.

Cuſtodi innocentiam, & vide æquitatem. Pſalm. 36.

Eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum. Eccli. 31.

Tibi derelictus eſt pauper; orphano tu eris adjutor. Pſalmus 10.

Ab infantia mea crevit mecum miſeratio, & de utero egreſſa eſt mecum. Job 31.

Prævenisti eum in benedictionibus. Pſalm. 20.

Juſtus cor ſuum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum. Eccli. 39.

Quem Deus docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum; ablactatos a lacte, avulſos ab uberibus. Iſaiæ 28.

Erit magnus coram Domino. Luc. 1.

Et poſuerunt omnes, qui audierant in corde ſuo dicentes: quis putas puer iſte erit? etenim manus Domini erat cum illo. Ibidem.

Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu. Ibidem.

Te faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua, ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito; & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Matth. 6.

Quis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei? Matth. 8.

Quis putas eſt fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore? Idem 2.

Sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. 2. Corinth. 6.

Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci; talibus enim hoſtiis promeretur Deus. ad Hebr. 13.

Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, pudicum &c. 1. ad Timoth. 3.

Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non turpis lucri cupidum &c. ad Titum cap. 1.

Exempla, & Figuræ ex Bibliis depromptæ.

S. Nicolaus côſervat innocentiam ſuâ eo modo, qui oppoſitus eſt illi, quo Adam amiſit ſuam.

FOns peccati primi hominis in terreſtri Paradiſo fuit deſiderium veſcendi fructu, cujus eſus illi fuerat interdictus. Voluptas, quam fructus attulit, illi innocentiam eripuit; fecit, ut amitteret auctoritatem; eumque pudore, miſeria, & opprobrio cumulavit. Sumptibus ſuis didicit, mortem in eodem fructu contineri, in quo vitam ſe invenire cogitabat; ac tandem malo ſuo factus ſapiens invenit in abſtinentia, ſenſuum mortificatione, & pœnitentia immortalitatem. Illud vero ſatis eſt ſingulare, Sanctum Nicolaum, licet Adæ Filium, & criminis ejuſdem heredem, non ſecus ac homines reliquos, ſed luſtralibus aquis regeneratum, uſum fuiſſe abſtinentia ciborum, minime vetitorum, quos illi natura paraverat ad vitam conſervandam; illa, inquam, uſum fuiſſe, ut ſervaret innocentiam, & gratiam quam receperat; idque eo modo qui prorſus illi adverſatur, per quem Adam ſuam amiſerat, & in cauſſa fuerat, ut tota etiam poſteritas amitteret ſuam. Si Adæ exemplum, qui ex ipſius Dei manibus prodierat cum illuſtratæ rationis uſu, efficere debet, ut gulam tanquam noſtræ calamitatis principium intueamur: Nicolai adhuc pueri, & ante ipſum rationis uſum exemplum, nonne docet modum efficaciſſimum ad tuendam, vel reparandam innocentiam eſſe, diluculo exercere jejunium, atque abſtinentiam? Quoniam hoc mortificationis genus una eſt ex rationibus, quibus pœnitentiam agere, cum Deo in gratiam redire, & certam ſalutem noſtram facere valeamus.

Nicolai abſtinentia a puero fuit futuræ ſanctitatis præſagiû, quemadmodum Moyſes Ægyptiarum lacte uti recuſans futuram illius portendit magnitudinem.

Joſeph Hiſtoricus lib. 2. cap. 5. refert tanquam præſagium futuræ magnitudinis Moyſis, & officii, cui Deus illum deſtinabat; quod cum puer eſſet, adhuc lactens, pertinaciter uti nolebat Ægyptiarum lacte, quaſi ex eo tempore omne horreſceret commercium cum natione inimica populo Dei, vel timuiſſet una cum lacte ſugere mores ejus, & ſtudia. Dicamne Nicolaum a teneris unguiculis renuiſſe lac haurire ſtatis diebus a nutrice ſua, non quidem ne illius ſugeret mores, in quibus nihil erat non laude dignum, ſed in præſagium illius, quod ipſe futurus erat; videlicet abſtinentiæ prototypus, Evangelicæ legis hac in re inſtaurator, unus ex primis Catholicæ fidei propugnatoribus, & ille, qui Eccleſiam præſervaturus erat ab hæreſi Arianorum, qui infenſiſſimi erant Jeſu Chriſti inimici.

S. Nicolai pietas in adoleſcentia comparata cum illa ſenioris Tobiæ.

Si Nicolaus adhuc puer aliquam habuit cum Moyſe ſimilitudinem; ejus pueritia, & adoleſcentia perfectam habuit relationem cum ſenioris Tobiæ juventute, non ſolum propter pravarum ſodalitatum fugam, propter animum a ludis, & ſolatiis alienum, ad quæ juvenes tanto cum ardore feruntur, ut regendus ſit, & corrigendus; verum etiam propter pietatem, propter caritatis exercitia, & ſedulam in omnibus officiis ſuis obeundis curam. Ita enim de hoc loquitur Scriptura: *Cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat Rex Iſrael; hic ſolus fugiebat conſortia omnium, ſed pergebat in Jeruſalem ad Templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſrael.* Idcirco Sanctus iſte vir ad ſublimem ſanctitatis gradum pervenit. Hujus veſtigia ſecutus eſt S. Nicolaus, & hanc viam ingreſſus eſt, ut ad hanc perfectionis apicem perveniret, propter quem illum ævo ſuo, & deinceps omnibus ſæculis terrarum orbis admiratus eſt, tamquam virtutum omnium exemplar: Hac arte magnos in ſanctitate progreſſus fecit, qui mirabilibus vitæ illius primordiis reſponderunt.

Vocatio S. Nicolai ad Epiſcopatû aliquam habet rationê cum illa Samuelis ad ſummum Sacerdotium.

Non vulgaris Sancti Nicolai ad Epiſcopatum vocatio illi quodammodo ſimilis eſt Samuelis Prophetæ, qui a matre ſua devotus fuerat Altaris ſervitio, antequam naſceretur, & eligeretur a Deo futurus aliquando magnus Sacerdos populi ſui. Hic filius precum, licet a teneris annis in templo educatus, ignorabat ſe a Deo electum eſſe adglorioſum hoc miniſterium: itaque in illud ſeſe ingerere noluit; ſed Deus ſancta educatione illum diſpoſuit, namque ſicut in Scripturis fit mentio, quotidie de virtute in virtutem creſcebat, donec illum Deus præſtantiſſimo huic muneri idoneum judicaret. Hanc ipſam rationem ſervavit Deus erga Sanctum Nicolaum. Hunc deſtinabat, ut fieret Paſtor animarum, & ut quatenus Epiſcopus gregi ſuo invigilaret; ſed illi non ſignificavit electionem a ſe de eodem factam niſi eum palam declaravit voluntatem ſuam modo prorſus miro, uti conſtat. Sed voluit etiam ut ipſe antea in ſæculari ſtatu ſeſe ſanctificaret praxi ampliſſimarum virtutum, jejunii, orationis, & operum caritatis, ut par eſſet aliis ſanctificandis, quatenus Epiſcopus, & Paſtor animarum; & fieret, ut Sanctus Petrus Apoſtolus ait, gregis ſui forma, & exemplum. *Forma facti gregis ex animo.*

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

TAlis decebat, ut eſſet nobis Pontifex Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus. Ad Hebr. 7. Primo quidem intuitu videtur, ad texendum magni Epiſcopi elogium, quem utraque Eccleſia ſemper venerata eſt tamquam illorum exemplum, qui ad hoc dignitatis faſtigium evaſere, non eſſe admodum honorificum aſſerere, vitæ innocentia, & morum ſanctitate præſertim enituiſſe, cum hæc fidelibus omnibus eſſe debeant communia. Cum magnus hic Sanctus ad infulas fuerit promotus, ut inſigni præeſſet diœceſi, & ut eſſet in Eccleſia, quod in cælo ſunt præcipui Spiritus, nonne in majorem illius gloriam cederet, vobis exhibere vel lumina, & ſublimes cognitiones, quas divinitus hauſerat, ut idololatriæ tenebras diſſiparet, quæ adhuc ævo illius graſſabantur; vel profundam ſcientiam, quam prætetulit in magno Concilio Nicæno, & quæ plurimum contulit ad Arianorum hæreſim confundendam; vel conſummatam prudentiam, qua tandiu ſuæ præfuit Eccleſiæ; vel robur invictum, quo maxime furentes perſecutiones ſuſtinuit, vel tot alias eximias virtutes, quarum illius vita nobis tot præbet exempla, ut argumentum nobis valeant ſuppeditare Panegyrici longe magnificentioris? Verum data opera, fateor, me magna hæc argumenta evitaſſe, quantumlibet majeſtatis conſueverint præſtare eloquentiæ, & me prætuliſſe ſanctitatem facilius imitandam, & quam ſpero nobis majorem utilitatem allaturam. Iterum dico, ſi vitæ ſine labe ulla innocentia, & horror vitiorum ſæculi corrupti, in quo Sanctus iſte præ ſanctiſſimis ætatis ſuæ viris enituit, non eum fulgorem effundunt, qui ſtatim mentis aciem perſtringat: tamen in hoc Verbum incarnatum, ac ſummum animarum noſtrarum Pontificem ab hominibus ceteris ſeſe diſtinxiſſe, ut Paulo teſte, eorum mediator eſſet, & caput. *Talis decebat, ut eſſet nobis Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus.* Itaque jure inter magnas incomparabilis Sancti Nicolai

dotes principem locum illius tribuo innocentiæ; quo nomine intelligo probitatem perſpectam, & exploratam extra omnis cenſuræ, & calumniæ jactum poſitam, & in qua ne improbiſſima quidem, & apertiſſima invidia nihil reprehendendum invenit. Talis fuit magni hujus Sancti vita; prærogativa æque rara, ac neceſſaria pro Eccleſiæ regimine; eo tempore, quo Chriſtiana Religio triumphare incipiebat de Ethnicorum ſuperſtitione, & cum Eccleſia maxime indigebat Epiſcopi hujus characteris, ut prohiberet morum corruptionem, quæ nec minus erat metuenda, & difficilius exterminanda quam ipſa idololatria. *Talis decebat, ut eſſet nobis Pontifex.* Opus erat Sancto Nicolao, admirabilis innocentiæ viro, conſtantis fidelitatis in Dei miniſterio, vitæ frugi, ac piæ, ſuiſque muneribus obeundis intento ad tribuendum ſpecimen quoddam ſanctitatis Religionis noſtræ, & exemplar diſciplinæ, quam ſimul docet, atque exercet.

S. Nicolaus vere fuit vir miſericordiæ.

Nihil invenerunt viri divitiarum in manibus ſuis. Pſal. 75. Sunt viri divitiarum, ſunt & viri miſericordiæ; ſed magnum inter utroſque diſcrimen eſt. Homines divitiarum in proſperitate vixerunt; magna domeſticorum turba ſtipati, quorum fortunam mortales omnes ſuſpiciebant, ac venerabantur; ſed quo tandem evaſerunt commentitiæ eorum magnitudinis monumenta? Hæc omnia cum illis perierunt, ac tranſierunt velut umbra. Sed viri miſericordiæ, qualis extitit Sanctus Nicolaus; quoniam bona ſua propter Deum reliquerunt, & bona non habuerunt, niſi ut illa in pauperum manus traducerent; divitiæ illorum ſunt in manibus Dei, qui eas aliquando illis cum fenore rependet; & pro perituris æternos illis theſauros retribuet.

Benedictiones Dei ſanctum hunc ab infantia prævenerūt.

Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Pſal. 20. Qui aliquid de Sancti Nicolai virtutibus audiit, intelligere potuit, hunc fuiſſe filium miſericordiæ, filium precum, filium benedictionis, a Deo datum; namque ex plurimorum auctorum teſtimonio, præſertim vero Sancti Methodii Patriarchæ, natus eſt ex matre ſterili & patre jam ætate ingraveſcente. Parentes ejus genere clari, virtutibus autem clariores illum precibus, lacrimis, & eleemoſynis obtinuerunt a Deo; *Omnipotens Dominus illorum piis precibus annuens, benedictiſſimum illis filium donavit.* Sanctus Thomas Villanovanus, & alii quidam dicunt, ſicut olim Sanctus Joannes Baptiſta cum adhuc eſſet in utero Sanctæ Eliſabeth genitricis ſuæ exultaſſe, & adoraſſe Chriſtum Jeſum; ita Sanctum Nicolaum de genitricis alvo egredientem, & in balneo poſitum, ut ablueretur, ſeſe erigentem, manuſque ambas jungentem, orantem, oculoſque ſuos in cælum attollentem, duarum horarum ſpatio ſtetiſſe, quaſi adoraret, & jam Deum ſuum agnoſceret. Unde infert Dionyſius Carthuſianus, omnino fidei conſonum videri, Deum huic puero in anteceſſum uſum rationis tribuiſſe. Quamvis magni iſti viri maximam apud nos reverentiam, & auctoritatem obtineant, hujus tamen Sancti laudes ſuperſtruere non poſſumus præſumptionibus, & conjecturis; neque illi ea privilegia conferre, quæ ad Dei Matrem, ejuſque Præcurſorem dumtaxat pertinere videntur. Verum cum Sancto Vincentio Ferrerio aſſerere poſſumus, Deum per adeo admirabiles primitias oſtendere voluiſſe, puerum hunc in mundo aliquid magni futurum, & in ipſo nativitatis ejuſdem articulo per corporis ejuſdem habitum innuere, quænam eſſet futura intentionum mentis illius rectitudo; & per mirum illud jejunium, quod a puero ſervavit, quænam illius futuræ eſſent auſteritates: *In quo jam oſtendebatur intentio recta, quam ſemper habiturus erat.* Verbo prodigia hæc portendebant, Deum in anteceſſum cumulare hunc puerum præcipuis favoribus, & benedictionibus. *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.*

Sanctus ſtatis diebus abſtinēs lacte nutricis a puero præbuit futuræ ejuſdem pœnitentiæ præſagia.

Quis putas puer iſte erit? etenim manus Domini erat cum illo. Nonne prodigii loco habendum eſt puerum nutricis ſuæ uberibus abſtinere ſtatis diebus, & ab hac conſuetudine nunquam deſciſcere? Nunquid ea in ætate rationis compos effectus fuerat, in qua pueri plus habent brutalitatis, quam humanitatis? Quis hanc illi morum regulam tradiderat, unius diei puerum, cum minime culpa careat, opus eſſe nequaquam carere pœnitentia? Hominibus ab utero matrum ſuarum errantibus, ex primo ipſo vitæ articulo errores ſuos reparandos eſſe. Cum per baptiſmum efficiantur milites Jeſu Chriſti, debere ſeſe præparare certamini contra dæmones quoſdam, qui nonniſi jejunio extruduntur? Num diluculo in mortificationibus exercendi ſunt, ut felicem habitum conſequantur? Cum Chriſtianus per baptiſmum teneatur quotidie referre imaginem Jeſu Chriſti crucifixi, & pœnitentis, nunquid pueri adhuc rubentes ab utero, munere hoc debent perfungi? Cum autem hæc Nicolaus præſtet, *Quis putas puer iſte erit? etenim manus Domini erat cum illo*: Tu, Domine, inſtinctu gratiæ tuæ moves jam cor hujus pueri, & in profundo cordis ejus ſcripſiſti pœnitentiam in Evangelio præſcriptam: tu illum deſtinas futurum vas electionis, tu illum prævenis exquiſitiſſimis gratiis: tu ex illo prodigium facis ut hominum mentes præpares ad prodigia virtutis, & miracula, quæ aliquando operaturus es: tu illum populo tuo dediſti, ut illius lumen eſſet, & rector, ut eum doceret vias ſalutis, & ut tibi peccatores conciliaret, prædicans pœnitentiam verbis, & factis.

Quænam fuerint primæ cogitationes, prima exercitia, & prima ſtudia S. Nicolai?

Juſtus cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum. Eccli. 39. In hiſtoria vitæ Sancti Nicolai videmus vivendi rationem ſanctam, uniformem, ſibi conſtantem: cor, quod ſeſe Domino tradidit non ſolum quolibet vitæ ſuæ die, ſed a primis ad extremum uſque ſpiritum, quo ingreſſus eſt ad oſculum Domini non ſecus ac Moyſes. Quænam primæ illius cogitationes fuere, quæ prima exercitia, quæ prima ſtudia? jejunium, oratio, & eleemoſyna juges illius fuerunt occupationes. Modo ingrediebatur in viſibile, ac materiale templum cum fidelibus reliquis, divinam majeſtatem adoraturus; modo ſeſe recipiebat in templum inviſibile, ac ſpirituale cordis ſui, ubi totus vacabat Deo. Nunquid invenietis peccatores locum aliquem, ex quo veſtra probetis flagitia, & juges pœnitentiæ veſtræ dilationes? Nunquid in Sancto hoc perfecto in omnibus ſenſibus, & in adoleſcentia, & in ætate provectiori, & in laici conditione, & in Epiſcopi dignitate deprehenditis locum aliquem, qui veſtram foveat præſumptionem, & miſeram, in qua vivitis, ſecuritatem? Nonne immo invenietis juſtum hunc tradidiſſe Deo cor ſuum diluculo; & cum manus ſuas ſemel aratro admoverit, nunquam retro reſpexiſſe? *Juſtus cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo &c.*

Quantum valeat apud Deū gratia ſimul cum jejunio, & eleemoſyna?

Bona eſt oratio cum jejunio, & eleemoſyna. Tob. 12. 8. Nemo unus ignorat in triplici hac virtute totam Chriſtiani hominis perfectionem ſitam eſſe, & neminem ad altiorem ſanctitatis gradum pervenire poſſe, niſi in illis excellat. Verum ſi generatim loquendo hominem perfectum efficiunt, fuerunt tamen character peculiaris Sancti Nicolai in Oriente, & Occidente celeberrimi. Cor Dei *pulſat oratio, jejunium impetrat, miſericordia accipit: eleemoſyna, jejunium, oratio dant ſibi vitam invicem.* (*Serm.* 13.) Sanctus Petrus Chryſologus inquit in diſertiſſima homilia, ubi trium harum virtutum texit elogium. Oratio Deo noſtras repræſentat neceſſitates; illum mulcet abſtinentia, cum iratus eſt, miſeretur quippe hominis, qui ut illum placet, in ſemet animadvertit. Illum movet eleemoſyna, & audeo dicere, cogit illum ſuis largitionibus, ut quod petit, concedat. Oratio eſt jejunii alimonia; jejunium vigor eſt orationis, & eleemoſyna vita eſt orationis, atque jejunii. Separari nequeunt, niſi infirmentur, & illi qui non habent unam ex his virtutibus, nullam habent, ut Sanctus idem Pater ait. Hinc conjici poteſt ad quem Sanctitatis gradum pervenerit Magnus Epiſcopus, quem hac die colit Eccleſia, quia non unam, ſed tres haſce virtutes in ſummo excellentiæ gradu obtinuit.

Ab infantia mea crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum. Job 31. Natura Sancto Nicolao indolem contulerat admodum teneram, alieniſque miſeriis levandis pronam, quod tunc etiam apparuit, cum adhuc puer ſubſidia de ſuo aliis pueris ſuppeditaret. Nemo unquam illo melius dicere potuit, quod Job de ſeipſo dixit, cum rationes attulit earum eleemoſynarum, quas erogaverat: *Ab infantia mea crevit mecum miſeratio &c.* quoniam reipſa videtur hanc virtutem toto vitæ curſu adeo illi propriam fuiſſe, ac ſi illi fuiſſet congenita. Etenim dicere poſſumus cum Theologis, gratiam ſeſe accommodaſſe naturæ, & foviſſe prima ſemina, quæ hæc jecerat; & indubitatum eſt, bonam naturam unum eſſe ex præcipuis gratiæ fundamentis, & eximiam diſpoſitionem ad Sanctitatem. Fortuna optimis ejuſdem ſtudiis obſecuta eſt, quandoquidem natus erat ex genitoribus, qui mundi hujus bonis affluebant, & ei ſuppeditare poterant, unde eleemoſynas erogaret. Non permiſit Deus, ut ille has opes labore ſibi compararet, velut per induſtriam locupletaretur, ut ſtatim in manibus haberet, unde eleemoſynam erogaret, & hoc ipſum ad liberalitatem illum diſponeret; crebro enim uſuvenit, ut qui divitias labore partas congerunt, magis avari, & illiberales ſint illis, qui eaſdem congeſtas reperiunt.

Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis. Eccli. 29. Sapiens nobis conſilium præbet, ut in pauperum ſinu eleemoſynas abſcondamus, eaſque magis quam fieri poteſt clam tribuamus, ne forte omnem earum fructum amittamus ob inanis gloriæ ſubtilitates. Hoc ipſum conſilium dedit nobis Salvator cum ait: *Sit eleemoſyna tua in abſcondito.* Hic peculiaris fuit Sancti Nicolai character, qui clanculum omnes eleemoſynas ſuas impendit. Qua enim arte uſus non eſt, ut conſuleret pudicitiæ trium ſororum, quas inhumanus pater contumelioſiſſimæ infamiæ tradere decreverat? Qua cura, & ſedulitate manum celavit, quæ adeo heroicum facinus operabatur? Sed Deus, qui ſervis ſuis in hac quoque vita centuplum pollicitus eſt, non eſt paſſus, ut inſignis hæc largitas ſilentio involveretur? Voluit, ut calamitoſus ille pater Sanctum proderet; & in genua provolutus illi ageret gratias. Quo pudore tunc ſuffuſus non fuit beneficus ille largitor? quas non adhibuit preces, ut pauper hic liberalitatem ſuam reticeret? Nicolaus ſe putabat œconomum bonorum, quæ ipſi dederat Deus, & miſericordiæ illius eſſe quæſtorem. Ideo quibus miraculis pepercit Deus, ut opes ejus multiplicaret? Quoties arcæ ejus, quas exhauſerat caritas, divinitus repletæ fuerunt? Quod certamen inter Dei potentiam, & Sancti Epiſcopi liberalitatem? Hic large, effuſeque donat, Deus bona illi reddit cum fenore. Nicolaus affluenter diſtribuit; Deus ejus bona ubertim multiplicat; quo in certamine pars neutra ſuperior eſt. Deus non cedit Nicolao, Nicolaus, ſi dicere fas eſt, non cedit Deo; quia tantum dat quantum recipit, & quodcumque prodigit, quod ſibi datur.

Gaudium Angelorum videntium puerum pœnitentem.

Spectaculum facti ſumus mundo, Angelis, & hominibus. 1. Cor.

Cor. 4. Quanam affecti fuiſtis lætitia, Beati ſpiritus intuiti puerum, qui ab incunabulis incipit agere pœnitentiam? Si rectitudo innocentis animæ ambulantis in ſemitis juſtitiæ, vos magno afficit gaudio, ſi Euchariſtica recinitis cantica ad Agni thronum ſuper peccatore pœnitentiam agente; qua exultabitis hilaritate videntes, non dico peccatorem pœnitentiam agentem qui poſtquam diu aberravit, in ſummi paſtoris ſui brachia confugit; non dico juſtum irreprehenſibili vita Domini vias percurrentem, ſed animam nuperrime ſacro dealbatam lavacro per ſanguinem Salvatoris, & quæ peccatum non novit; ſed aliquot dierum puerum, ex numero illorum, qui Agnum ſequi debent, concinentes Canticum eorum, qui nunquam fœdati fuere, & nihilo ſecius hic infans adhuc rubens ab utero jam pœnitentiam amplectitur; in anteceſſum ebibit calicem Domini; jamjamque cum illo in Calvarium aſcendit. Ille jam nos docet, neminem ſperare poſſe, fore ut cum Chriſto glorificetur, qui cum illo paſſus non fuerit. Ille jam nobis prædicat Regnum cælorum vim pati, & violentos dumtaxat illud rapere poſſe. Quam lætum, atque jucundum cælo hoc ſpectaculum fuit! At infernus nonne præſentiebat lethalia vulnera, quæ hic puer illi erat inflicturus? Infernalis ſerpens nonne prævidebat futurum, ut hic puer legens veſtigia pueri Jeſu, hujus virtute ſibi apertum bellum inferret, & Eccleſiam contra ſuam nequitiam propugnaret?

Sanctus hic conquerebatur cum Sancto Paulo quod Eccleſiæ ſuæ ſollicitudo prohibebat, ne orationi vacaret.

Sollicitudo omnium Eccleſiarum. 2. Corinth. 12. Inter labores ſuos numerabat Sanctus Paulus ſollicitudinem & pondus omnium mundi Eccleſiarum tanquam curarum ſuarum maximam: ab hac enim avocabatur a tenera affectione, qua ferebatur in Deum, & a recolenda eorum memoria, quæ ad tertium uſque Cælum raptus viderat. Ita Sanctiſſimis Epiſcopis negotium faceſſebat onus, quo ſe gravatos videbant magno negotiorum numero, ac quieti ſuæ tempus ſubtrahebant, quod precibus, & orationi impenderent. Sanctus Nicolaus ſentiebat pondus omnium curarum, quæ ab Epiſcopali dignitate nequeunt ſemoveri; *Sollicitudo omnium Eccleſiarum &* angebatur, eo quod unice Mariæ officio vacare non poſſet. Moleſtæ Miniſterii ſui curæ licet ſanctificantes, eo quod conciliari non poterant cum ſancta, ſuavique requie contemplationis, lacrimas ab ipſius oculis eliciebant; & eo quod fungi deberet munere Marthæ, & aures præbere omnibus omnium, qui ad ipſum confugiebant, controverſiis, conquerebatur cum Sancto Gregorio, quod totus eſſet ſæcularis. Cur autem deliciæ noſtræ non erant præclara hæc occupatio? Quam celeri curſu viſi fuiſſetis obviam ire Jeſu Chriſto, cum in hac vita mortali miracula operabatur, cum alebat turbas, dæmones ejiciebat, mortuos ſuſcitabat? Tanquam Zachæus nonne ſuper arbores aſcendiſſetis illum prætereuntem viſuri? nonne illum ſecus viam præſtolati eſſetis, ut veſtium illius fimbriam tangeretis? Non igitur mirum eſt, ſi magnus hic Epiſcopus doluit ſe nimis oneratum eſſe tot negotiis ad temporalia ſpectantibus; cum illi ſemper præſentia hæc omnia Salvatoris myſteria ob oculos verſarentur.

Sic nos exiſtimet homo, ſicut Miniſtros Chriſti. 1. Corint. 4. Quam felices ſunt Epiſcopi eo quod muneribus, ac miniſterio Jeſu Chriſti aſſociati ſunt? Nonne Apoſtolis ſimiles ſunt? nonne ſunt eorum ſucceſſores, ut eaſdem functiones exerceant? Nonne ut ipſi dicere poſſunt, nos quoque legati ſumus Domini? *pro Chriſto legatione fungimur.* (2. *Cor.* 4.) Non minimum eorum officium eſt cura pauperum, quam Dominus credidit illis. Pauperes ſemper habetis vobiſcum; quod cuipiam ex illis feceritis, ſcitote idem futurum, ac ſi mihi feciſſetis; *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* (*Matth.* 25.) Hoc Sancto Nicolao ſemper cordi fuit, tunc præcipue, cum fuit ad Epiſcopalem dignitatem evectus. Illud ſemper ob ejus oculos obverſabatur, quod Jeſus Chriſtus in ſocietatem Diſcipulos evocans in panum diſtributione eorum miniſterio utebatur, miraculoſam eſcam illam eſurienti populo diſpenſaturus, ut cor eorum flecteret, eoſque doceret, quænam ipſis erga pauperes habenda eſſet miſericordia. Et ipſe ſibimet dicebat, nonne ſum ipſe caritatis Domini ſucceſſor, non ſecus ac dignitatis? Nonne hanc mihi imaginem aſtruit Scriptura? Nonne hoc populi ab Epiſcopo expectant? Numquid Dei Filius non poſſet adhuc per omnipotentiæ effectum alere pauperem? Numquid non poſſet adhuc pluere manna, ut olim, nationem integram nutriturum? Non indigebat igitur Miniſterio meo; ſed mihi præbuit formam caritatis, a me in ſtatu meo exercendæ, & in eo ſtatu, in quo me conſtituit ſubveniendi temporalibus fratrum meorum neceſſitatibus, indigitavit curam, quæ mihi gerenda eſt in ſpirituali peccatorum ſubſidio; mihique oſtendit, me eſſe miniſterii ipſius ſucceſſorem in duplici caritate hac exercenda. *Sic nos exiſtimet homo ſicut miniſtros Dei &c.*

Quid ſentiret Nicolaus de Sacerdotio & miniſterio ad quod vocabatur a Deo?

Pro Chriſto Legatione fungimur. 2. Corinth. 2. Quomodonam Sanctus Nicolaus Sacerdotium conſiderabat? velut extenſionem, & emanationem quamdam ex Sacerdotio Jeſu Chriſti, quod reſpiciebat tanquam fontem, initium, & exemplar Sacerdotii ſui. Sanctus Nicolaus putabat ſe miſſum eſſe ad populum diœceſis ſuæ non ſecus ac Jeſus Chriſtus reſpiciebat ſe tamquam legatum miſſum a Patre ad Filios Iſrael. Magnus hic Sanctus ſe ad obeundum munus ſuum excitabat, ſibi applicabat, quod dictum fuerat de ſummo Sacerdote ſecundum ordinem Melchiſedech, ac ſæpe ſibimet dictitabat: Ego ſum Jeſu Chriſti legatus; ego illius vicibus fungor; debeo autem de Jeſu Chriſto animari, & de vita ejus vivere. *Pro Chriſto legatione fungimur.* Cum Jeſus Chriſtus a Patre conſecratus fuit Sacerdos: ejus unctio meam præſignabat, & eam, qua ipſe inunctus fui, Jeſu Chriſti unctionem referebat. Ipſe illi præfuit tanquam Caput, quod præeſſe debet unctioni membrorum ſuorum: debeo igitur omnia mea munera obire eadem cum dignitate, qua Jeſus Chriſtus, cujus legatus ſum: *Pro Chriſto legatione fungimur.* Ubinam, quæſo, illi ſunt, qui ad Apoſtolici miniſterii ſui magnitudinem ſuſtinendam, ſe ita reſpiciunt, & hæc animadvertunt? Ubinam ſunt illi, qui ſe tanquam Sacerdotii Jeſu Chriſti ſucceſſores conſiderant ad ædificandum, ad ingratos, ſterileſque agros Dei verbo excolendos? Ubi illi, qui ſibi dicunt: *pro Chriſto legatione fungimur?*

PARAGRAPHUS IV.

Loci Sanctorum Patrum, qui huic inſervire poſſunt argumento.

Eleemoſyna, jejunium, oratio, dant ſibi vitam invicem. Sanctus Chryſologus Serm. 13.

Jejunio fit homo vivens victima, quæ & ſibi maneat, & data ſit Deo. Idem Serm. 43.

Jejunium nos immolat Deo, & ad martyrium præparat. Idem Serm. 43.

Oratio pulſat, jejunium impetrat, miſericordia accipit: hæc nemo reſcindat, neſciunt ſeparari. Iſta qui ſimul non habet, nihil habet. Idem Serm. 13.

Gloria Epiſcopi eſt pauperi neceſſario providere. Sanctus Hieronymus.

Videndus eſt tibi Pauper, qui te non videt, requirendus eſt ille, qui videri erubeſcit. Ambroſ. lib. 2. Offic. cap. 26.

Quiſquis beneficus in alterum ſe extollit, majorem culpam ſuperbiendo meruit, quam mercedem largiendo adquirit; ſitque nudus, dum nudum veſtit. S. Gregorius l. 21. Moral. cap. 14.

Loci aliquorum Patrum de ipſo Sancto Nicolao.

Nicolaus electus ab utero, ſanctus a puero, juvenum gloria, ſenum reverentia, Sacerdotum honor, Pontificum ſplendor. Sanctus Bernardus ſerm. in feſto Sancti Nicolai.

Hic eſt Nicolaus, cujus miracula per totam mundi latitudinem diffunduntur, quem laudat orbis terræ, & qui habitant in eo. Idem ibidem.

Crebreſcunt quotidie mirabilia, nec requieſcit Spiritus Dei, ad memoriam militis ſui, ſua continuare miracula. Idem ibidem.

Glorificatur in mari, laudatur in terra, in omnibus periculis invocatur. Idem ibidem.

Si tempeſtas ſæviens, & crudelitas maris inteutatur, Nicolaus flebiliter exoratur, ut audiat, ſuppliciter invocatur, ut veniat, ut eruat miſericorditer acclamatur. Idem ibidem.

Si pulſamur incommodis, Nicolaus ingeminatur; Patrocinium quæritur Nicolai. Idem ibidem.

Non ſolum Chriſtianis, ſed & Paganis in tantam reverentiam ſancti nominis advolavit auctoritas, ut certatim confluant ad laudandum, & glorificandum nomen ſanctum ejus. Idem ibidem.

Inter multa, magnaque miracula, maximum miraculum quod fecit, ipſe facit. Idem in elogio Sanctæ Malachiæ.

Cujus totus mundus beneficia ſentit. Petrus Damiani Serm. de S. Nicolao.

Inter omnes Sanctos temporibus ſuis maximis miraculis claruis, & ſtupendis. S. Bonaventura Serm. 2. de ſancto Nicolao.

Nicolaum ornavit Deus præcipua liberalitate, & maxima pietate, & fervida caritate, quæ omnia patent in facto illo clariſſimo, quod fecit in juventute ſua. Dionyſ. Carthuſ. Serm. 2. de Sancto Nicolao.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus hauriri poſſit hoc in argumento.

Rationes propter quas qui poſſidēt Eccleſiæ bona, magis tenētur eleemoſynam erogare, & opera miſericordiæ exercere.

Miſericordia erga pauperes verus eſt Epiſcoporum character, cujus impreſſiones in corde recipere debent. S. Paulus de illorum dotibus diſſerens, eos liberales vult, & S. Hieronymus inquit: *Gloria Epiſcopi eſt pauperi neceſſario providere.* E contra vero nullum eſt vitium Epiſcopali dignitati magis contrarium, quam ſordida hæc divitiarum cupiditas. Et ſane tres præcipuas rationes invenio, quæ Præſules, & eos omnes, qui in Eccleſiaſticis dignitatibus conſtituti ſunt, virtutem hanc exercere compellunt. Prima deſumitur ex eorum ſtatu; altera ex fine officii; tertia vero ex qualitate, ac natura ipſarum divitiarum, quas poſſident, quæ hanc illis injiciunt neceſſitatem. Tenentur miſericordiam exercere ex natura dignitatis, & ſtatus, qui per illam præſertim ſunt patres populorum ſuorum. Sunt divinæ Providentiæ ſupplementum non ſolum, ut conſulant cibo animarum, verum etiam ut proſpiciant neceſſitatibus corporum præſidio caritatis, & uſu divitiarum. Tenentur etiam ex fine officii ſui, qualis eſt ovium ſuarum ſaluti providere, eaſque ex imminentis peccati periculo præſervare: at temporalia

ralia ſubſidia neceſſaria ſunt ad ſpirituales neceſſitates prævertendas, ad vetandum, ne pauper peccet, eleemoſynis juvandus eſt, & ut illius anima ſalva fiat, temporalibus ejuſdem neceſſitatibus eſt ſubveniendum. Igitur propter primam rationem Chriſtianus fratri ſuo opem ferre debet; propter alterum pluribus in occaſionibus debet titulo caritatis, quæ eſt veluti medium neceſſarium ad finem, quem ex officio ſuo, & nominis ſui vi procurare tenetur. Denique ratio noviſſima deſumitur ex natura bonorum, quæ ab Eccleſiaſticis poſſidentur, quæ eſſentialiter ad pauperum ſolatium deſtinata ſunt. Diſcrimen adeſt inter Eccleſiaſticos, & ſæculares in neceſſitate eleemoſynarum erogandarum. Tenentur ſæculares pauperibus ſubvenire ex generali Religionis cauſſa, & rationibus univerſo Chriſtiano nomini communibus. Sed Eccleſiaſtici, & potiſſimum Epiſcopi tenentur illis ſuccurrere ex ipſa divitiarum ſuarum natura; datæ enim fuerunt a pietate populorum, & Regum liberalitate hac conditione, ut in pauperum ſubſidia impenderentur. De neceſſitatis hujus naturæ non diſputo: dixerunt nonnulli illos ex chriſtianæ Caritatis cauſſa teneri; alii aſſeruerunt ſub pœna peccati partem redditŭum pauperibus eſſe erogandam. Non affirmabo autem, utrum quadrans, an triens ſit impendendus: dicam ſolum, ea quæ ſuperſunt victui, qui deceat eam, quam obtinent dignitatem, quæ ſane quamdam habere debet amplitudinem, quin tamen in hoc aliquis ſibi aduletur, ad pauperes pertinere.

Auctoritas eorum, qui in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti ſunt alia eſt ab auctoritate Magiſtratuum, & Principum.

Inter auctoritatem, quæ in mundi principibus viris, & eam, quæ in manibus eſt Epiſcoporum hoc diſcriminis intereſt, quod Principes aliquando ſua abutantur auctoritate, ut noceant. Geſtant quidem gladium, ut juſtitiam exerceant; nonnunquam propter neceſſitatem, ſæpius propter iram. Quapropter S. Paulus illos tanquam manu tenentes gladium nobis deſcribit, qui defendere ſimul poteſt, & vulnerare. Sed Epiſcoporum potentia illis collata fuit, ut præbeant exempla miſericordiæ. Hac uſus eſt S. Nicolaus erga tres Epiſcopalis ſuæ civitatis incolas, qui cum per ſummam injuſtitiam ad mortem fuiſſent damnati, neque Sancto viro alia ſuppeteret ratio illis opem ferendi, ipſe patibulum aſcendit eos de manibus, vel potius gladio carnificis ſublaturus. Actio hæc nequaquam in exemplum proponitur: illud inauditum fuit caritatis Præſulis noſtri opus quod tamen non omnes fideles ſequi debent, ſed ad oſtendendam potentiam, & auctoritatem, quam Sanctus hic Antiſtes ſibi conciliaverat in populum, & judices, vitæ ipſius ſanctitas, & innocentia.

Quanti referat bene ad examen expendere vocationē, ſuam cum aliquis Eccleſiaſticum ſtatū ſuſcepturus eſt.

Quidquid Patres, atque Theologi docent de neceſſitate eligendi ſtatum vitæ, attentius conſiderandum eſt, ubi agitur de Eccleſiaſtico ſtatu aggrediendo, atque in hoc ipſo ſtatu illis potiſſimum qui vocantur, ut ſint Epiſcopi, & animarum Paſtores. Si enim temeritatis nomine inſimulari poſſunt, qui ſe ſe peculiaribus ſtatibus immiſcent, cui periculo ſe non objiciunt, qui ultro, & non vocati ad regimen animarum feruntur? Qui adeo parum caute aggreditur tanti momenti miniſterium, nec illius quidem intelligit officia, neque quid ſibi velit rationem ſibi reddendam eſſe Deo non de ſua tantum, verum etiam de animabus eorum quorum eſt Paſtor. Quiſnam hæc ſedulo cogitans non contremiſcat? *Hoc eſt maximum periculorum*, S. Thomas ait, *hominem de factis alterius rationem reddere, qui pro ſuis non ſufficit.* (*Thom. in ep. ad Hebr. c.* 3. *& in* 4. *diſt.* 17.) Si tanta requiritur cura, ut quilibet ſalvet ſe ipſum, quanta ad alios ſalvandos requiretur? Paſtores autem vere debent eſſe Salvatores juxta illud verbum: *Dediſti eis Salvatores, qui ſalvarent eos de manu hoſtium noſtrorum.* Sanctus Epiſcopus noſter nullum hinc ſubit periculum, non immiſcuit ſe miniſterio animarum, niſi Dei voluntas ei perſpecta, & explorata fuit, & niſi liquido innotuit, ſe divinitus ad regimen animarum vocari. Sed non omnes facile ſibi perſuadere queunt de hac Dei voluntate: perpauci linguam Cæli intelligunt; nihilominus quam maxime refert illam intelligere, ut bona fiat ſtatus electio! Sed quinam hoc fieri poteſt? Samuel deceptus fuit, Dei vocem pro voce hominis accipiens: & multi falluntur accipientes pro voce Dei illam, quæ vox eſt hominis, vel etiam fortaſſe vox proprii amoris. Operæ igitur pretium eſt aliquas habere regulas, ut divina de nobis conſilia detegantur, ut digne tanto hoc munere perfungamur.

Vix, & media ad cognoſcendam Dei voluntatē in ſtatus electione.

Cum non omnes intelligere valeant, ad quem vitæ ſtatum a Providentia evocentur, neceſſe eſt ſcire, Deum nobis tria dediſſe luminum genera, ut illius voluntatem cognoſceremus, rationem, orationem, & conſilium; atque tria hæc ſimul colligenda ſunt, ut tutius detegatur beneplacitum Patris cæleſtis, in vocatione ad Epiſcopatum. Ratio petit, ut cogitemus finem propter quem ſtatum aggredimur, & hæc norma eſt ceterorum. Si quærimus beneficia, quibus animarum cura annexa eſt, finis ſane eſſe non debet, ut locum commodum, utilem, jucundum quæramus, ſed ut nobis ædificemus turres quaſdam ſublimes, ex quibus vigilare poſſimus publicæ animarum utilitati, & hanc procurare juxta illud Prophetæ verbum: *Speculatorem dedi te domui Iſrael.* Hic unicus & verus eſt finis; non autem ut mundi conſuetudinem ſequamur, non ut avidis, & ambitioſis conſanguineis obſequamur, non ut eorum, vel noſtram mollitiem foveamus, non ut inertes, & inutiles ſimus; ſed e contra ut ſemper magis, magiſque operemur; quoniam hic agitur de gloria Dei, de proximi, & noſtrummetipſorum ſalute. Nihil tamen vulgatius eſt, quam videre Eccleſiaſticos animarum miniſterium affectantes, potius propter pingues redditus beneficio inhærentes, quam propter deſiderium proprii muneris obeundi. Nonne jure aſſerere poſſumus hujuſmodi mortalibus eſſe venales animas; eos lupos eſſe, non paſtores, vel ſaltem mercenarios, qui ſi minime ſuas oves devorant, eas in luporum irruentium prædam derelinquunt? Præter rationem, orationem quoque habemus pro norma, qua a Deo poſſumus obtinere cognitionem Sanctæ ipſius voluntatis de nobis, & quænam ſint Providentiæ ejus conſilia. Regula tertia conſilium eſt, quod ratio docet a nobis quærendum eſſe ab iis, qui in viis Domini illuminati ſunt, ut nihil ex libidine operemur, ut aliquando nos pœnitere non debeat. Ita egit magnus hic Epiſcopus, & hæc etiam cauſſa fuit, propter quam adeo bene præfuit populo ſuo, ſecundum Dei beneplacitum, ut proponi valeat in exemplum maximis terrarum Præſulibus, & cum Apoſtolicis viris primævæ Eccleſiæ comparari.

Apoſtolus in Epiſcopo requirit, ut vitam ducat irreprehenſibilem.

Qui animarum curam ſuſcipere cupit, non ſolum certus eſſe debet ſe vocari a Deo; ſed omnino neceſſe eſt, ut ſit irreprehenſibilis, & in habituali ſtatu ſervandæ legis Dei, ut aliorum curam ſuſcipere valeat: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe:* quod ipſum aliis verbis repetit Apoſtolus: *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem;* (1. *ad Timoth.* 3. *Epiſt. ad Tit.* 1.) quæ ſi deſit conditio certiſſime fiet objectum iræ Dei: vel illis S. Petrus Damiani inquit, (*l.* 2. *Ep.* 1.) qui flagitioſam ducunt vitam, & qui per nequiorem ſuperbiam eum occupare locum volunt, qui vitam requirit irreprehenſibilem. Qui vitam ducit nefariam, certus eſſe poteſt ſe ad tantum miniſterium nequaquam vocari; ad illud enim non vocat indignos, niſi antea dignos efficiat; & inutilis eſt eorum reſponſio, qui affirmant perfectioni ſuæ operam navaturos, ubi ingreſſi fuerint in eam vitæ rationem. Antequam ſe illi immiſceant, opus eſt, ut virtutes hæ jam adquiſitæ ſint, non adquirendæ, & illos, quos evocavit Deus, antea dignos effecit, ut perſpicuis verbis S. Thomas teſtatur. *Illos, quos ad aliquod eligit, ipſe præparat, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur digni.* (*S. Th. in Ep. ad Cor. c.* 1. *l.* 2. *&* 3. *p.* 2. *q.* 27.) Adde his Deum mirum in modum zelotem eſſe honeſtatis Miniſtrorum ſuorum, qui antequam munus ſuum aggrediantur, ita ſeſe gerere debent, ne quid legitime illis exprobretur. Igitur perfectus eſſe debet, antequam ſeſe animarum regimini immiſceat; quia Paſtoris vita ut ſolide, & conſtanter frugi ſit, ille ſe ipſum probare debet, ut in ſacrum miniſterium ingrediatur, ubi prætertim de animabus regendis agitur. Sancto Nicolao de his rationibus perſuaſum erat; etenim quin ille de Paſtoris miniſterio cogitaret, & cum adhuc in ſæculari ſtatu verſaretur, talem virtutis habitum adeptus fuerat, ut per illum dignum ſe præbuerit, qui vocaretur a Deo.

Alia conditio a S. Paulo in Paſtore requiſita eſt, ne ſit ſuperbus.

Alia qualitas, quam Deus in illo requirit, quem ad animarum curam appellat, & quam nobis idem S. Paulus indigitat, hæc eſt, ut qui ad hanc dignitatem evehitur, non ſit ſuperbus. *Non ſuperbum.* Magnum vitium, quod hominem omnino indignum facit hoc ſublimi munere, & quod ambitionem ſimul, & præſumptionem complectitur; cum quis non ſolum ſe dignum putat animarum regimine, ſed etiam in ipſum irrepere conatur, honores ambit, ſuſdeque omnia miſcet, ut ad altiores Eccleſiæ gradus aſcendat; ſciſcitatur, ubi locorum vacent beneficia, ubi redditus ampliores ſunt, ut eorum poſſeſſionem obtinere contendat, & inde magnifice vivat, quin admodum curet, utrum digne munus expleat ſuum, ſuiſque officiis perfungatur. Sed præterea alia inveniuntur vitia e regione ambitioni oppoſita, quæ non minorem merentur reprehenſionem, qualia ſunt puſillanimitas, inertia, timiditas: cum aliquis ſine ulla ambitione nitendi ſe ſtatu ſuo contentum putat, & præfert quamdam mollitiem, qua oblectatur, labori, quem opinatur ſibi nimis eſſe gravem, licet in eo palam videat maximum fructum gloriæ Dei, & ſalutis proximi. Jeremias primum quidem laudabilis fuit, ubi expavit ad oblatam ſibi a Deo dignitatem, & dixit; Domine, neſcio loqui: puer ſum. (*Jer.* 6.) Sed corripiendus fuiſſet, ſi negare perſtitiſſet ſecundum S. Gregorii ſententiam. (*Ep. l.* 6. *Ep.* 5. 4. *Circ.*) Humilitas igitur eſt re adhuc integra detrectare aliquod munus prætexendo indignitatem ſuam, ſed ſuperbia eſt pertinaciter in hac repulſa perſeverare, cum a Superioribus cenſemur idonei; nam exiſtimare ſibi ſemper jus eſſe reſiſtendi Superiorum imperiis, qui opera noſtra uti volunt, & qui jus habent aperiendi nobis Dei voluntatem, hæc certiſſime eſt inertia ſuperba, & per hoc facile in caput noſtrum convertimus illud maledictum quod Dei Filius contorquet in ſervum inutilem, qui talenta ſua humi effoderat. Permittamus igitur Deo noſtrummet ipſorum arbitrium, & quidquid illi de nobis facere placuerit nullo in diſcrimine habeamus. Ita fecit S. Nicolaus, cum adhuc vivebat in ſæculo, & ad Epiſcopatum evocatus, tantum onus evitare voluit; non prodiit amplius, delituit, ſe ſe tanquam inviſibilem præbuit; ſed ubi novit hanc Dei voluntatem eſſe, patuit, ejuſque humilitas in cauſſa fuit, ut omnia ſæcula illum admirarentur in munere Epiſcopali.

Omnes Paſtores tenētur diſtribuere panē verbi divini ovibus ſuis.

Nihil in Scripturis, & apud Patres apertius connotatum eſt, quam arcta, & inevitabilis neceſſitas, quæ omnibus adhæret Paſtoribus ovibus ſuis divini verbi pabulum diſtribuendi. Tamen veritas adeo manifeſta nondum ſatis eſt perſpecta quamplurimis; & paſſim negligitur perinde ac ineſſet illi tenuis probabilitas. Operæ pretium igitur eſt hoc diligentius cognoſcere? Si enim negatur animabus doctrina, qua indigent,

quod-

quodnam aliud iiſdem præſidium præſtabitur? Hoc palam nobis Dei Filius oſtendit exemplis, & verbis, & explicite præcepit Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus; eaque lex numquam in Eccleſia fuit habita tamquam arbitraria, cujuſmodi ſunt pleræque leges humanæ, ſed tamquam eſſentialis ſtatui Paſtoris animarum. Ideo S. Paulus enumerans gratias eminentiores Fidelibus conceſſas, ait: *Dedit quoſdam Apoſtolos &c.* (*Ad Eph.* 4.) & ſimul conjungit, *alios vero Paſtores, & Doctores*, ad innuendam duorum horum officiorum indiviſibilitatem. Hoc ipſum exemplo ſuo toto vitæ ſpatio noſter nos Epiſcopus docuit.

Paſtor animarum debet eſſe integer, & minime cupidus bonorum terræ.

Aliam quoque in animarum Paſtore qualitatem requirit Apoſtolus. Epiſcopus, ait ille, eſſe debet ab omni habendi libidine alienus; quæ quidem diſpoſitio omnino neceſſaria eſt in hoc ſtatu; idque repetit in Epiſtola ad Titum: *Non turpis lucri cupidum.* (1. *Ad Timoth.* 3. *Ad Tit.* 1. 7.) Quæ verba nobis oſtendunt Dei Filium a ſuis Miniſtris expetere perfectam animi a terræ hujus bonis alienationem, ut ſicut inquit Propheta, Deus ſit eorum pars, & hereditas. Et non ne videmus Apoſtolos numquam geſtaſſe aurum, neque argentum juxta Domini præceptum; quod Sancti Petrus, & Joannes dixerunt petenti eleemoſynam ad Templi portam? Qui igitur Eccleſiaſticum requirunt Miniſterium propter habendi cupiditatem, ſane oſtendunt illud ab ipſis requiri, ut commodius vivant, ut pacate redditibus Eccleſiæ perfruantur, quin illi ſerviant, & ullam ſtatus ſui functionem exerceant. Hæ venales animæ, hi cupidi Miniſtri conditionem ſuam reſpiciunt tamquam artem, qua victum ſibi ſuppeditare debent non tamquam ſtatum, in quo ipſi ſanctificandi ſunt etiam, aliis ſanctificandis operam navaturi. Plurimi ſunt etiam, qui ſtatum hunc amplectuntur vel propter ignaviam, vel quia ſe alteri cuipiam muneri impares putant, rati perperam, hunc ſtatum non eſſe niſi pro illis, qui quietam vitam ducere volunt. Horum ſententia palam ab Apoſtolo damnatur his verbis: *Nam cum eſſemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet.* (1. *ad Theſ.* 3.) Quot autem inter inertes hos homines adſunt, qui propter beneficia onerati pluribus maximi momenti officiis, ab iis facile ſe diſpenſant, & in alios rejiciunt quidquid in ipſorum miniſterio moleſtum eſt? S. Auguſtinus in Epiſtola (*Epiſt.* 21. *nova edit. alias* 148.) quadam hæc mala deplorat, & ita loquitur. Nihil vere jucundius eſt, quam dignitas Epiſcopi, & Paſtoris, & nihil ſuavius, & commodius, quam illas exercere functiones, cum quis vult oſcitanter obire cuncta, hominibus in eorum ſceleribus aſſentari, & ſibimet in ſua ignavia blandiri. Sed nihil calamitoſius, & damnabilius coram Deo eſt Paſtore otioſo, cui cum credita fuerit provincia panem diſtribuendi gregi dominico, ut huic det vitam, e contra mortem illi infert per ſuam ignaviam, & ſæpe etiam per crudelitatem ſuam, vel turpis lucri deſiderium. Quam vituperandus eſt Paſtor, qui cum gregem Salvatoris alere debet, illum occidit, ut ex ejuſdem ſubſtantia proficiat! Hic ſpiritus quam longe abeſt a zelo Epiſcopi noſtri! Sancto huic Paſtori tenero, & gregis ſui malorum miſeratori nihil erat antiquius, quam dies, noctéſque vigilare, ut illius neceſſitatibus proſpiceret, & propriam etiam ſubſtantiam ſuam impendere, ne quid ſuo gregi deeſſet.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, nuperiſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Cultus, quem Eccleſia univerſa præſtat S. Nicolao argumentū eſt, quanti fiat ab eadem illius Sanctitas & poteſtas apud Deum.

MUltitudo Templorum, & Altarium in univerſo terrarum orbe erectorum in honorem S. Nicolai nobis perſuadere debet in Ordine Sanctorum, quos ſub titulo Confeſſorum recolimus, neminem eſſe, ad cujus gloriam vehementius nos inflammare videatur Eccleſia. Extenſio, & celebritas cultus, quem illa in ejuſdem memoriam inſtituit, & cum tanto fulgore tuetur, oſtendit nobis, Sancti hujus merita eſſe præclara, & hunc ab eadem apud Deum potentiſſimum exiſtimari. Eadem electio, quæ ab illa fit, ut ipſum diverſarum conditionum hominibus, pueris vero prætertim, imitandum proponat, & habendum loco ſingularis patroni, nos a pueritia diſpoſuit, ut in eo omnia conciperemus quæcunque in præſtantiſſimo Sancto fingi poſſent. Itaque juxta æquiſſimum hoc præjudicium, quod Chriſtianæ educationi debemus, nihil amplius invenimus, quod omnino impoſſibile, vel etiam incredibile nobis videatur inter ea, quæ de mirabilibus vitæ ejuſdem actionibus referuntur. *Auctor Recens.*

Futuræ Sanctitatis præſagia in abſtinētia quā ab incunabulis exercuit.

Confitendum eſt inſignem hunc Sanctum uberrima præventum fuiſſe gratia; pauci enim extiterunt in Eccleſia Sancti, qui maturius majora dederint non communis Sanctitatis indicia. Lactens adhuc erat, cum abſtinentiam, & jejunium ſervare didicit, quod SS. Patres originalis juſtitiæ reparatorem, at innocentiæ cuſtodem appellant; quandoquidem per virtutis miraculum diebus, qui præcipue devoti ſunt pœnitentiæ, a nutricis uberibus abſtinebat ita, ut antequam per ætatem noſſet, quid ſit virtus, omnium auſteriſſimam, ſeu ſuum videlicet mortificationem exerceret. Servabat jejunia ea ætate in cujus gratiam Eccleſia ipſa nutrices a jejunii præcepto diſpenſat; & quaſi auſteritas, & mortificatio uſum rationis expectare non potuerint, per inſtinctum id facit, quod ratio vix perſuadere poteſt hominibus, ſine jejunio, & ſine auſteritatibus neminem poſſe dici fidelem Deo permanere in naturæ noſtræ corruptione; & inter intrinſecas illecebras, ac ſollicitationes, quibus homines in ſcelus feruntur. Hoc igitur primum, & maxime efficax medium fuit, quo Sanctus hic uſus eſt ad ſuam innocentiam tuendam, corpori ſuo bellum indicere; corpori, inquam, ſuo, quod S. Paulus corpus peccati appellat, quia præcipua eſt origo, & frequentiſſima cauſſa peccati. Hoc præſtitit S. Nicolaus non ſolum per fugam ſolatiorum mundi, quibus homines plerumque primos vitæ ſuæ annos tribuunt, verum etiam per graviſſimas quaſlibet auſteritates, quibus qui a Deo afflati ſunt corpus ſuum ſubigere conſueverunt, idque ea ætate, quæ pronior eſt in voluptatem, cum illa proclivitas qua trahuntur fortior eſt, & violentior; cum impreſſio, quam perniculoſa objecta in mente, & corde illorum relinquunt acrior eſt, eique accedit pondus propriæ corruptionis, quæ per ſe nos rapit in vetitum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Jejunium & abſtinentia fuerunt proprius S. Nicolai character.

Unicuique Sanctorum proprius ineſt character, & ſicut Angeli ſinguli ſingulas peculiares ſpecies ab aliis diſtinctas, & quibus illi a ceteri diſtinguuntur, efficiunt; dicere poſſumus, quemlibet Sanctum efficere ordinem ſingularem, quo ab aliis ſecernitur. Hinc Scriptura Sacra, quæ neminem palpat, Sancti cujuſdam elogium texens, vere ait: *Non eſt inventus ſimilis illi.* Patet proprium S. Nicolai characterem eſſe jejunium. Quod aliis quoque Sanctis commune eſt, hoc illi peculiare eſt, & Eccleſia Græca illum merito jejunatorem appellavit antonomaſtice. Quippe ex eo cœpit jejunare, ex quo cœpit vivere: in ipſis quoque incunabulis abſtinentiam exercuit, & Spiritus Sancti afflatu quarta, & ſexta per hebdomadam feria ſemel tantum nutricis ſuæ ubera ſuxit. In ſe pœnitentiam cum innocentia conjunxit, & ea ætate, qua pueri naturæ tantum ſequuntur inſtinctum, jam gratiæ motus ſequitur. Quid autem cogitatis Sanctum hunc ætate provectiori feciſſe, cum tot miracula ediderit in pueritia? Quem progreſſum illum feciſſe in abſtinentia putatis, qui cum eadem natus videbatur? Ingeminat cum viribus auſteritates; & pœnitentiæ ſubſidio omnes ſubigit cupiditates. Dies integros tranſigit, quin comedat; de corpore ſuo victimam facit, de ſua pueritia ſacrificium, deque vita tota martyrium. Auget jejunia ſua, cum Eccleſiæ neceſſitates augentur; cum gratiam aliquam impetrare vult, jejunium cum oratione conjungit, & innocuis hiſce artibus vim Cælo infert, ut ſibi poſtulata concedat. *P. Senault ex Oratorio.*

Ejuſdem argumenti

Inſigne miraculum! ſimulque certum præſagium futuræ magnitudinis S. Nicolai in ſtatu gratiæ! Lactens puer ſenſitivam dumtaxat vitam habens, & naturale illud ſtudium, quo ad incolumitatem, & incrementum noſtrum procurandum nos impellit per alimenta; puer, inquam, in hoc ſtatu cibo abſtinet, qui ſibi neceſſarius eſt, & Eccleſiæ jejunia æque ſedulo ſervat, ac religioſus quilibet maximæ auſteritatis, & obſervantiſſimus Thebaidis Eremita. Unde hoc? Dicemuſne Deum illi in anteceſſum rationis lumen contuliſſe, ut ab ipſis incunabulis par fieret chriſtianæ pietatis exercitiis? Nequaquam. Magni hujus Sancti laudes in ſimplicibus conjecturis ſtatuere nolo, quæ paſſim ſunt falſæ, neque illi tribuere privilegia, quæ ad Præcurſorem Filii Dei, Sanctamque Deiparam pertinent. Dicam dumtaxat, Deum proponere volentem illuſtrem Sanctum hunc Eccleſiæ ſuæ tamquam perfectum patientiæ, & moderationis exemplum, voluiſſe quoque, ut a teneris ejuſdem unguiculis augurium conciperemus, & fideles omnes expectarent ex primitiis adeo mirabilibus, & graviſſimis magnum aliquod virtutis cumulatiſſimæ portentum. *Ogier.*

Non magis laude dignus eſt hic Sāctus quod abſtinentiā ab incunabulis exercuerit, quā quod Evangelica conſilia in vita ſervavit.

Audacter aſſerere poſſumus Sanctum hunc Epiſcopum non tam eſſe laudandum, quod ab innocenti eſu abſtinuerit, quam illi natura in nutricis ſuæ ſinu præparaverit, quam celebrandum, quod ſibi interdixerit vitæ delicias, & mundi voluptates, ut inter mortificationes jugiter verſaretur. Non igitur illum tam commendamus, quod Dei, & Eccleſiæ mandata ab ultima pueritia obſervaverit, quam quod ſecutus eſt conſilia Evangelica ex eo tempore, quo rationis fuit compos, ut illa intelligeret. Non laudamus illum, quod fortaſſe puerili bonitate, quæ tamen a Deo profecta dici poteſt, abſtinuerit a nutricis ſuæ lacte, cujus alii pueri adeo avidi ſunt, & cupidi; ſed illum plurimi facimus, quod omnia bona ſua pauperibus erogaverit ea ætate, qua illa ceteri profundunt, ut ſeſe penitus voluptatibus dedant. Immo e contra omnia bona ſua pauperibus tradidit, ut viveret ex laboribus manuum ſuarum, & perfectam Evangelicam paupertatem ſervaret. *Idem.*

Decurſus vitæ S. Nicolai reſpōdit felicibus pueritiæ primordiis.

S. Nicolaus fuit Occidentis Thaumaturgus, non ſecus ac Gregorius fuerat Orientis. Ab incunabulis, cum nondum uſum rationis haberet, viſus eſt præſeferre cognitionem Evangelicorum conſiliorum. Pœnitens fuit, antequam peccator eſſet, & duobus per hebdomadam diebus, non niſi ſemel, idque veſpere matris ſuæ ubera ſugebat. Nemo illum docere potuerat Eccleſiæ jejunium; ſed in corde ſuo gerebat pro Magiſtro ſupremum Exemplar Pœnitentiæ. Ab hoc didicit admirabilem abſtinentiam, cujus nondum viſum fuerat exemplum in puero. Reliqua vitæ pars ab adeo ſanctis initiis non abhorruit. Ubi per ætatem res cognoſcere potuit, eas cognovit per lumen Dei, qui illi veritatem earum aperuit. Oculos habuit mundatos fallaci quodam colore, qui hominibus mundi videndas objicit creaturas omnino alias ab eo, quod ſunt.

Non-

Nonniſi Creatoris accepit imaginem; divitias, honores, & ſæculi voluptates conſideravit tanquam impedimenta amori ſupremi boni. Hac de cauſſa non adhæſit cor ejus bonis ſuis, ſed illis uſus eſt, ut fraternis neceſſitatibus opem ferret. Sciebat pauperum partem divinitus fuiſſe depoſitam in manu divitis, ut qui habent ſuperflua, præberent indigentibus neceſſaria, & eos, qui hanc retinent partem, deteſtabile furtum committere. Caritas ſola non eſt, quæ proximo jubeat opem ferre, ſed juſtitia; & qui pauperem non alit, illum occidit. *Si non paviſti, occidiſti*, *Godeau*.

Sanctus hic nobis eſſe poteſt exemplo in omnibus vitæ ſuæ partibus.

Quemadmodum in Sancti Nicolai vita nulla pars eſt, quæ Deo dicata non fuerit; & nulli in ea extiterunt vacui dies, pœnitentiæ lacrimis eluendi, nullus quoque vitæ ejuſdem locus eſt, quem non debeamus nobiſmet in exemplum proponere. Similis puero Samueli a primis vitæ ſuæ momentis ad altarium miniſterium ſeſe præparavit. Mortificatio fuit in tenella ætate juge exercitium. Nunquid minorem præparationem merebatur dignitas tanta, quanta eſt præfici curæ dominici gregis? Sequamur hoc Exemplum, atque utamur ratione, qua fruimur, ut noſmet offeramus Deo in ea temporum circumſtantia, in qua hodie ſumus. Dicamus illi, quamvis ſero nimis, quod magnus ille Sanctus in mundum ingrediens: Reſpuis, Domine, holocauſta, ac in locum earum vis victimas rationales: ecce me paratum corpore, & anima, quam a te recepi, ut tuas ſequar voluntates. Sanctus hic ex numero illorum eſt, qui nos fidei pepererunt. Nonne enim ex illis eſt, qui ſuffragio, & ſanctitate ſua Jeſu Chriſti divinitatem contra Arianos ſuſtinuere, & qui ad nos incorruptum dogma illud tranſmiſere, quod Religionis noſtræ eſt fundamentum? Meminerimus igitur illorum, qui nobis fuere præpoſiti; attente contemplemur Sancti hujus vitam, ut imitemur, Fidem ejus ſequamur; in moribus noſtris exhibeamus humilitatem ejus, & omnes virtutes illius, quæ illum Sanctum fecerunt. Hoc a nobis petit Eccleſia, nobis hodierna die proponens Nicolaum tanquam exemplum virtutum omnium, quas in illo intueamur. *Recens Auctor*.

Dona gratiæ & naturæ quæ illum effecerunt exemplar virtutis, & ſanctitatis.

Cum Providentia ſanctum hunc virum in lucem edidiſſet futurum perfectum ſanctitatis exemplar cum Eccleſiaſticis, tum ſæcularibus; illum ornaverat iis prærogativis, quæ ad id requirebantur, ingenio adeo felici, & ad virtutem prono, ut hæc cum illo nata, vel ab illo hereditario jure parta videretur. Sed dicamus potius illum tot Cæleſtibus gratiis fuiſſe præventum, ut non ſolum Baptiſmi innocentiam nunquam polluerit, verum etiam poſuerit illam tanquam fundamentum virtutis ſuæ, quæ jugiter uſque ad vitæ ſuæ finem aucta fuit. Hic inſignis, & minime frequens Cæli favor eſt, dicetis; ſed cuinam tale Exemplum imitandum relinquis? Vobis, fideles ſuggerens eaſdem artes ſervandæ innocentiæ, ſi ita felices fuiſtis, ut nulla unquam labe illam aſpergeretis, vel ſi eadem reparata, poſſidetis adhuc pretioſum hunc theſaurum. Hæc autem media ſunt, jugis mortificatio ſenſuum, tenera devotio, & ædificans; perfecta ſeparatio a mundo, & omnibus iis, quæ cor illius corrumpere poterant. Audite ergo ſalutarem doctrinam, quam hodierna die vobis tradit Sancti hujus exemplum. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Virtutes, quæ magis nituerunt in S. Nicolao.

Numquid, o Chriſtiani, videre expectatis in Sancti Nicolai vita conſtantem præſtantiſſimarum virtutum praxim; primordia vitæ ſanctæ promittentis temporum decurſu majorem ſanctitatem, videre expectatis cor, quod Deum amat ſtatim ac illum agnoſcit; mentem, quæ illi vacat ex quo incipit aperiri; adoleſcentiam, cujus tanta virtus eſt, ut ſit præſagium magnorum conſiliorum, quæ de inſigni hoc homine, ſibi proponit Deus? Proximum ædificat praxi auſteriſſimorum inſtitutorum Evangelii, eorum etiam, quæ captum ejus excedere videbantur. Non liquet, utrum illi unquam decertandum fuerit contra concupiſcentiam, vel jam eamdem ab ipſa nativitate ſuperaverit. Ambitio nunquam cor ejus fefellit, vel aſpidem hunc ludificatus eſt, eique ubi primum prodiit, intulit mortem. Bona, quæ ille a fortuna ſperare poterat, erant magna, & nihilominus non aliam voluit hereditatem, quam Jeſum Chriſtum; & primum, quod iniit conſilium, fuit omnes mundanas ſpes abjicere, bona ſua pauperibus erogare, & mox ſe Jeſu Chriſti ſervitio devovere. *Auctor Recens*.

Ejus genus, ortus, inſtitutio, & felices in virtute progreſſus.

S. Nicolaus ſemper habitus fuit pro uno ex Epiſcopis celeberrimis. Si nullum extat ejus ſcriptum, cauſſa eſt, quod dum viveret, maluit ſemper facere, quam loqui. Familia ejus clarior erat pietate, quam nobilitate, quæ quidem erat ampliſſima. Deus genitoribus illius hunc filium dedit, tamquam fructum orationis eorum; quem poſtquam cælitus acceperunt, in id unum incubuerunt, ut illum eidem redderent, non ſecus ac Anna Mater Samuelis, quæ omnibus diebus offerebat Deo Filium virtutis ſuæ præmium. Puer hic Domini miſericordiis præventus, quibuſdam hebdomadæ diebus a nutricis ubere abſtinebat. Per hanc abſtinentiam jam docebat pœnitentiam in mundo, & quilibet per admirationem dicebat ſibi: *Quis putas, puer iſte erit? etenim manus Domini eſt cum illo*. Ejus inſtitutio adeo felicibus initiis reſpondit. Miſeratio erga calamitoſos fuit virtus illi acceptiſſima. Secretis eleemoſynis vetuit, ne inhumanus pater filiarum ſuarum pudicitiam proſtitueret. Quam optandum eſſet, ut divites eamdem haberent miſericordiam; & præmium in cælo dumtaxat præſtolantes, miſericordiæ operibus exercendis vacarent! Præpoſitus cuidam cœnobio ab avunculo ſuo, qui ejuſdem inſtitutor erat, & oppidi Epiſcopus, quot tunc virtutum exempla non præbuit Nicolaus? Fideles verbis, & exemplis animabat; eoſque ad exactiſſimam diſciplinam ſervandam, & ad perſeverandum in illa excitabat. Ita vitam incepit, quæ futura erat Eccleſiæ quidem adeo glorioſa, hæreticis autem, & inferno adeo funeſta. *Auctor recens*.

Quomodo præſervavit ſe ab omni labe ſæculi, & ſervavit innocentiã toto vitæ ſuæ tempore.

S. Nicolaus non ſolum ſe immunem præſervavit a ſceleribus ſæculi per jejunia, aliaſque corporis mortificationes, quas Chriſtiani perhorreſcunt; ſed præterea per inſignem pietatem, apertamque ſinceræ devotionis profeſſionem, quod unum fuit ex mediis, quibus ad ſartam tectam innocentiam ſervandam uſus eſt. Oratio prima ejuſdem fuit, & vulgatior operatio; eo uſque, ut, ſi fides habenda eſt vitæ ejuſdem Scriptoribus, Templa eſſent ejus habitatio, in qua dies noctesque tranſigebat. *Schola illi erat, ac diverſorium Dei Templum; ut ſe dignum pararet templum, in quo Deus ipſe pernox, & perdius habitaret*. Adde his bonorum operum praxim, quorum ab infantia contraxerat habitum, fugiens quidquid in illis nitet, quæſitus id tantum, quod in ipſis ſolidum eſt, & quod Dei unius oculos poterat in ſe convertere. Hinc Juſtitiæ officia primum apud eum locum obtinebant, mox ea, quæ meræ caritatis erant; potiſſimum vero vitam ducebat frugi, & uniformem ſemper vitæ rationem ſervabat, in devotione modeſtiam, & verecundiam in converſationibus, fugam earum, ubi aliquod periculum deprehendebat, & horrorem rerum omnium, quæ mundana gaudia ſaperent. Hoc illum a ſordibus impuritatis, & ab adoleſcentiæ ſceleribus præſervavit, immo eidem comparavit eam qualitatem, quam requirit Apoſtolus in eo, qui magni alicujus populi regimini præficiendus eſt: *Talis decebat, ut eſſet nobis Pontifex, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus*. Sicut enim futurus erat exemplum ſui gregis, & forma illius, ut Apoſtolorum Princeps ait, *Forma facti gregis ex animo*; conſtat ædificationem, quæ debetur proximo per virtutis manifeſtam profeſſionem primam eſſe normam devotionis; nihil enim ad bonum, vel ad malum adducit facilius quam bona vel mala exempla. Verba quoque, & rationes ad utrumque nos urgere poſſunt; ſed exempla vi quadam nos rapiunt; & ſicuti pleriſque facilius eſt id eligere quidquid in mundo deterius eſt, & ſemet, ut ille corruptus eſt, corrumpere, quam illum ipſum a corruptione præſervare: eſſentiale devotionis caput eſt abeſſe quam longiſſime fieri poteſt a placitis ejus per illud vivendi genus, quod ab hominum conſuetudine abhorreat: *Segregatus a peccatoribus*. Hoc ipſum devotionis nomen ſignificat, quod quamdam denotat ſpeciem conſecrationis, qua ab iis omnibus, quæ profana ſunt, ſeparamur: ita ut velle devotam vitam agere, ſimulque mundi placitis adhærere, mundana ſolatia quærere, & commiſcere quidquid in mundo periculoſum eſt, cum eo, quod ſanctum eſt in Dei ſervitute; hoc eſt uti velle devotione ad apertam vivendi licentiam diſſimulandam. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Iniit conſilium recedendi a Mundo.

Sanctus noſter videns aſſidua pericula, quibus mundus refertus eſt, conſilium iniit omnino ab illis recedendi, & hoc etiam unum fuit ex mediis, quæ Spiritus Sanctus illi ſuggeſſit, ut fragilem hanc ratem a periculo naufragii præſervaret. Verum ut ab hoc procelloſo, ſirtibuſque pleno mari fugam capeſſeret, opus illi fuit tuto portu, ubi citra periculum verſaretur. Propitium hunc illi aperuit Providentia. Avunculus ejus, qui eodem nomine appellabatur, qui & ipſe Sanctus erat, & quo Deus uſus erat, ut illum in pietate enutriret, in deſerto ſatis remoto cœnobium ædificaverat; cumque neminem inveniret, cui tutius, quam nepoti ſuo, cujus prudentia & virtus illi erat perſpecta, illius regimen committeret, illum ad id impulit facile; hoc enim erat currentem impellere; præſertim cum hic ab avunculo ibi locum ſibi popoſciſſet, quin ſciret ſibi primum eſſe deſtinatum, ſibique aliorum curam eſſe demandandam. Abrenuntiatio, quam Nicolaus jam fecerat omnium bonorum ſuorum, ut Evangelicam amplecteretur paupertatem; & continentia, cujus erat perfectum exemplar, per quam jam in mundo vitam Regularem ducere inceperat; non egebat niſi loco, ex quo etiam Religioſi viri nomen acciperent. Verum cum ille ibi obedientiam exercere non poſſet, neque ſubjici aliis, cumque omnes eum obſervarent, & colerent, quippe omnibus comperta virtus ejus latere non poterat; inde egreſſus eſt, ut aliam ſolitudinem inveniret, ubi tutiorem habere poſſet aſylum contra gloriam, quæ illum quocumque ſequebatur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

Conſilium ejus in Palæſtinam ſecedendi, ut abſconditã Salvatoris vitam imitaretur.

Deſiderium, quo flagrabat S. Nicolaus, in obedientia & ſub Superioris auctoritate vivendi ad evitandam gloriam, quæ illum quocumque ſequebatur, effecit, ut omnia diligentiſſime præcaveret ad fugiendam illam tanquam quietis ſuæ, ſuæque innocentiæ inimicam. Iniit conſilium imitandi abſconditam Salvatoris vitam, & ſecedendi in Palæſtinam, ut ibi libenter Hominis Dei veſtigia ſequeretur, qui fuit Humilitatis exemplar, & qui hanc virtutem ipſe per ſe voluit docere. Ibi aſpectus illius terræ, quam Salvator ſudoribus, & ſanguine ſuo irrigaverat, acriter mentem ejus percellens, effecit, ut ſtatueret illic reliquos vitæ ſuæ annos tranſigere, patientiæ & humilitatis lectiones ſibi proponendo in omnibus ſtationibus, ubi Salvator paſſionis ſuæ veſtigia reliquerat, a ſtabulo Bethleemitico, quæ prima erat ſtatio ad Calvarium, ubi adhuc erant funeſta paſſionis, & mortis Domini

Bethleemitico; quæ prima erat ſtatio ad Calvarium, ubi adhuc erant funeſta paſſionis, & mortis Domini inſtrumenta. Vobis illum exhibere conarer ſanctæ huic occupationi intentum, ubi ſperabat, ſe omnino mundo moriturum adhærendo cogitatione ac deſiderio Cruci Salvatoris; niſi Deus illi ſignificaſſet, ſe illum ad aliquid majus deſtinaſſe propter majorem ſui nominis gloriam, oſtendens illi hanc nobiliorem eſſe imitationis rationem, exequi mandata ſua, quam actiones meditari, & ſequi veſtigia: & innocentiam ejus eſſe non poſſe alibi tutiorem, quam illic, quo vocabatur a Deo. Paruit ille, non tamen deſiit, quominus mundum ſaltem in ſpiritu relinqueret; quia alioquin ſervari innocentia non poteſt. *Idem*.

Nicolaus bonis ſuis ſancte utitur.

Inſignibus affluebat opibus Nicolaus ab ipſa nativitate; ſed ſciebat hæc omnia ſibi a morte eripienda, niſi illam præverteret. Itaque ſtatim ac per parentum ſuorum obitum aſſecutus eſt bonorum ſuorum adminiſtrationem, ea vere ſua effecit, eadem pauperibus diſtribuendo, & mirum in modum exercuit, quod Sancti Patres ſemper cum modico fructu divitibus hujus mundi ſuaſerunt, *Sparge in pauperes: fac tua, quæ tua non ſunt. Nihil uniuſcujuſque tam proprium eſt*, S. Leo dicit, *quam quod impenditur in proximum*. Quoties Concionatores in argumentum, vel ornatum ſermonum ſuorum protulerunt hæc admirabilia Caritatis exempla, quæ Sanctus hic præbuit, cum divitiis ſuis, quas Sancti viros virtutis appellant, uſus eſt, ut proximi ſui ſcelera nefaria prohiberet? Calamitoſus quidam pater cogitaverat de proſtituendis tribus filiabus longe calamitoſioribus, ut ſuæ paupertati ferret ſolatium. Ecce proſtitutionem, infamiam, libidinum habitum, mentis cæcitatem, oblivionem Dei, jacturam æternitatis, & decies centena malorum millia, quæ in miſeri hujus leonis familiam pervadunt. Sed S. Nicolaus tot malis occurrit; bonam divitiarum ſuarum partem deſtinat in dotem trium puellarum, & in parentis earum ſubſidium. Hujus etiam pudori pepercit, nocturnarum tenebrarum ope hanc liberalitatem exercens, & celans manum, quæ adeo benemerita erat de illa domo: ejus & filiarum interitum prohibet deterrens illum ab inito conſilio, quo peccatum in eam familiam invehebatur. *P. Texier*.

Vocatio S. Nicolai ad ſtatum Epiſcopalem.

Providentia, quæ S. Nicolaum deſtinaverat ad illuſtrandam Eccleſiam ſuam, viam nacta eſt virtutes ejuſdem prodeundi, tunc etiam, cum ſugere quærebat aſpectum hominum profundo ſenſu humilitatis. Mors Myrenſis Epiſcopi præbuit occaſionem. Huic ſucceſſor erat eligendus; & Epiſcopi ſimul coacti erant ut virum eligerent dignum, qui hunc locum repleret; cumque ſuffragiis ſuis irent in diverſa, quamprimum ſeditiones, ac tumultus totum orbem replevere. Nicolaus honoris evitandi cauſſa ſeceſſerat, & cogitabat ſe ignotum vitam ſuam in Dei cultu, & in piis exercitationibus poſſe tranſigere. Sed longe alia erant divinæ providentiæ conſilia, quæ ut ad fines ſuos perveniret, electoribus hanc mentem injecit ad dirimendas factiones, quæ jam ad arma, & vim ſpectabant, opus eſſe juxta Apoſtolorum exemplum forti hoc negotium committere, & in Epiſcopum cooptare illum, qui craſtina die ſummo mane templum primus ingrederetur. Placuit id conſilium univerſis, ita enim tutiſſime finis omnibus jurgiis, & contentionibus fiebat; ſed illo uſus eſt Deus, ut quem ipſe elegerat, ad inſulas evocaretur. Noctem totam in oratione traducunt in tanti momenti re divinam opem impetraturi: cumque Sanctus noſter diluculo in Templum acceſſiſſet conſuetis muneribus ſuis perfuncturus, retinetur, interrogatur quinam ſit, & quo pergat. Tantum majeſtatis, & modeſtiæ in ejus facie refulſit, tantum in reſponſionibus honeſtatis, tantum pietatis in verbis, tantum ſanctitatis in moribus, ut minime dubitatum fuerit, utrum hic ille eſſet, quem Deus in Epiſcopum deſtinaverat; ideoque illum tamquam hominem de cælo miſſum receperunt. Unus humilis Nicolaus facto inopinato obſtupeſcens electioni huic nequit adquieſcere; & poſt irritos conatus, quibus a ſe amovere adniſus eſt tantum onus ſanctiſſimo cuique formidandum, divinæ voluntati adeo manifeſtis ſignis declaratæ cedere debuit. Si hactenus innocentiam ſartam tectam ſervaverat, & ab omnibus ſæculi iniquitatibus abhorruerat, nunc videns ſe in eo ſtatu poſitum, qui perfectionem, & ſanctitatem requirit, conatur obire munera ſua vita prorſus cæleſti imitaturus illam Summi animarum noſtrarum Pontificis a Deo electi, & ad eum ſtatum evecti, qui illum ſuper reliquos homines extollebat. *Segregatus a peccatoribus, & excelſior Cælis factus*. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Magnæ illius actiones poſt electionem.

Adeo inexpectatam vocationem magnus hic Sanctus ſuſtinuit præclaris actionibus; generoſitas, qua fidem ſuam propugnavit, oſtendit quid expectandum eſſet ab Epiſcopo, quem elegerat Deus. Severitas edictorum Diocletiani, & Maximiani illum deterrere non potuerunt, & ſicut illi mortem intentarunt, iiſdem oſtendit nihil illi hac re accidere poſſe jucundius. Itaque illis ſatis fuit pellere in exſilium, ex quo mox a Conſtantino revocatus fuit, ut Nicæno intereſſet Concilio, in quo Nicolaus, tamquam unus ex præcipuis ſyderibus effulſit; & Conſtantinus eum ſingulari honore proſecutus eſt. Hoc uſus eſt Sanctus, non ut Imperatori aſſentaretur, ſed ut eum ad virtutem impelleret, & ut induceret ad audiendas infirmorum querimonias, qui ab illius Præfectis per impotentiam opprimebantur. Nonne huic Principi ſevero vultus habitu in ſomnis apparuit, non ſine minis præcipiens, ut liberos dimitteret tres homines falſo accuſatos, & injuſte extremo damnatos ſupplicio, qui ſeſe illi commendaverant, licet procul abſenti, ſupplente Deo diſtantiæ locorum, ut ſervum ſuum honoraret? *Auctor Recens*.

Conſideratio de Caritate S. Epiſcopi erga tres puellas, quarum honeſtati conſuluit.

Nobis conſiderandum eſt, Magnum hunc Epiſcopum tribus illis repetitæ Caritatis actionibus erga tres puellas, quarum laborabat pudicitia, familiæ univerſæ honorem ſervaſſe, eam a paupertate liberaſſe, & eruiſſe ex ſalutis æternæ jactura, quæ fere evitari non poterat: qua in re beneficus fuit ſecundum omnes rationes benefaciendi, quæ vel in nobis ſunt vel extra nos. Servavit enim Patris, ac filiarum ejus honeſtatem; corporeis neceſſitatibus illorum conſuluit, præbens illis, unde commode viverent; quæ omnia ſunt fortunæ bona: Illarum pudicitiæ proſpexit, integritatem, & animarum earum ſalutem ſartam tectam ſervavit; quorum bonorum pretium ſatis æſtimari non poteſt. Sed Sancti hujus humilitas admirabilis eſt, quod non aliam voluit ſuæ caritatis mercedem, niſi facti ejuſdem oblivionem apud homines: qua in re Salvatorem comitatus eſt, qui poſtquam leproſum mundaſſet, præcepit illi, ne cui factum proderet. *Vide nemini dixeris*, ut diſceremus bonorum operum laudes fugere, ne forte intumeſceremus. Tamen Sancto obtemperatum non fuit; nam ille, quem ſibi tot beneficiis devinxerat, elata voce benefactorem ſuum prædicat. Sed ille ferre minime valens encomia, quibus urbe tota celebrabatur, egreſſus eſt iturus alio, ubi ignotus bibere poſſet in inſtituto ſuorum bonorum operum curſu perſeverare. *P. Duneau*.

De Sancti hujus vocatione.

S. Nicolaus fidelitatem ſuam duabus in rebus oſtendit, quarum utraque noſtra & conſideratione, & imitatione ſunt dignæ: Obediendo videlicet gratiæ vocationis ſuæ, & ad unguem exequendo Dei de ſe ipſo conſilia. Quamvis igitur admirabili eſſet integritate, angelica puritate, ac ſublimi orationis dono præditus, repletus luminibus ſcientiæ prorſus divinæ, & infinitis cumulatus virtutibus, propter quas civibus ſuis erat admirationi: numquam tamen admovit animum ut ſe ad Sacerdotium attolleret, & multo minus, ut ad Epiſcopatum, & animarum curam perveniret. Humilitas illi ſuaſit, ut inter Cœnobitas cujuſdam Monaſterii Sion ab avunculo ſuo, qui S. Nicolaus minor vocatur, inſtituti confugeret, ac illinc iniit conſilium inviſendi Sancta loca in Jeruſalem, & aliquanto poſt ſeſe præparavit ad reliquum vitæ ſuæ ſpatium in ſolitudine eremitica traducendum. Ita humilis Nicolaus cogitabat; ſed longe alio ſpectabant Dei conſilia; immo audiit aliquando vocem cælitus dilapſam, qua ſibi dicebatur: *Nicolae, tibi redeundum eſt ad mundi palæſtram, ſi meam expetis coronam*. Seceſſum ac ſolitudinem meditaris, & contemplationis requiem inquiris; ſed non illic te volo. Si mandata mea ſequi vis, opus eſt, ut vivas in mundo, ut mundum, ejuſque pernicioſa placita impugnes, ac diruas. Lacrimæ, pœnitentiæ, vigiliæ, juges orationes, & omnes peculiares virtutes, quas in ſolitudine exercere moliris, non ſunt fructus ille, quem a te nunc cupio: *Non eſt hic ager, in quo fructum proferat, quem ex te flagito*. Cæleſti huic voci fidelis famulus paruit; mutavit conſilium; ex Corde ſuavitates, & ſpirituales ſolitudinis delicias reliquit, & omnino providentiæ divinæ mandatis obſecutus eſt. *P. Texier*.

De Vocatione ad Eccleſiaſticas dignitates.

Docet S. Thomas ſecundum communem Patrum ſententiam citra temeritatem reprehenſibilem coram Deo, quæcumque ſit ea virtus, quam aliquis habere ſe putat, neminem cupere poſſe, aut ambire dignitates Eccleſiæ. Et ſane quid in occaſione Sancti fecerunt? De omnibus dicere poſſumus quod S. Bernardus de S. Malachia Epiſcopo Armano in Ibernia, *qui omnem locum ſublimem, & excelſum velut præcipitium formidabat*. Quid ergo dicemus de illis, qui nullas in ſemet virtutis notas intuiti, quas Paulus in Sacerdotibus, Paſtoribus, & Præſulibus requirit, ſed e contra conſcii dignitatis, vitiorumque ſuorum ſeſe obtrudunt in locum periculoſæ plenum aleæ, & in quo tanta perfectio requiritur? Quid dicemus, niſi illos omnino fide carere? Cæcos eſſe, qui ſibi depoſcentes regimen aliorum cæcorum, nihil aliud expectare poſſunt, niſi ut cum illis in horribilis damnationis ruant præcipitium? *Si cæcus cæco ducatum præbet, ambo in foveam cadunt*. *P. Texier*.

Sæviente perſecutione Diocletiani, vel Licinii S. Nicolaus miſſus fuit in exilium.

Cum S. Nicolaus ad inſulas vocatus fuit; ad ſublimem hanc evehi dignitatem, atque ad Martyrium deſtinari unum ferme erat, & idem; & crux, quam primi illi Paſtores gerebant, ſuæ dignitatis inſigne, fere ſemper madebat ſanguine prædeceſſorum. Pauciſſimi Tyrannorum furorem evitabant, qui præſertim perſequebantur ipſa capita dominici gregis, quia fidem ſuſtinebant, populos conſolabantur, & alios ad martyrium ſubeundum confirmabant. Funeſto hoc, ſimulque felici tempore Sanctus noſter in Epiſcopum electus fuit ſæviente furentiſſima & cruentiſſima perſecutione, quam Eccleſia paſſa eſt, illa videlicet Diocletiani, quæ aliis præſtitit crudelitate, & ſanguinis effuſione eo uſque, ut Chriſtianum nomen penitus extinctum crederetur; tantus Fidelium numerus, qua late patebat Romanum imperium, trucidatus fuit: quamvis Hiſtorici quidam aſſerant hoc accidiſſe in perſecutione Licinii, quæ aliquanto poſt debacchata eſt. Verum ſi qua de tempore quæſtio eſt, conſtat de facto, & perſecutio hæc alteri non ceſſit, niſi quod neque tandiu manſit, neque adeo generalis fuit; cumque ceſſiſſet furor propter deſperationem extinguendi Chriſtianam Religionem ſanguine eorum, qui illam profitebantur; captum fuit conſilium per com-

compendium ſæviendi, ſolos Epiſcopos perſequendi, quoſdam ad metalla damnandi, poſtquam illis aliqua infamiæ nota inuſta fuiſſet, & alios in remotiſſimas terrarum plagas exſules & extorres agendi. Sperabant enim ſe facile diſſipaturos oves, ubi paſtores defuiſſent. Hoc ſupplicii genere damnatus fuit Epiſcopus Nicolaus inter primos, tanquam unus ex validiſſimis fidei propugnatoribus, & quamvis illud fortaſſe minus crudele videatur, tamen maximum eidem attulit dolorem, quia hæc pœna omnem illi cum populo ſuo conſuetudinem auferebat. Qui hoc damnabantur ſupplicio, licet viventes adhuc ſub terra ſepulti ſibi auditores, pœnarumque ſocios comparabant. Illis, qui aliquibus tantum membris mutilabantur, hæc ſaltem erat conſolatio, quod in proprio corpore geſtabant teſtimonium fortitudinis, & fidei ſuæ; & qui martyrio coronabantur, præter gloriam mortis adeo pretioſæ, hac quoque conſolatione fruebantur, quod ſanguinis ſui voce alios confirmabant, quapropter Tertullianus dixit *Sanguinem Martyrum, ſemen eſſe Chriſtianorum*. Qui vero in barbaras regiones, deſertaſque inſulas relegabantur, ubi tot inveniebant perſecutores, quot incolas, in horum cuſtodia erant, ita ut ipſis omne interdiceretur litterarum commercium cum gregibus ſuis, & omnis ſocietas cum inſulariis, ut diuturno martyrio conficerentur. Hoc illud eſt, quod noſter Epiſcopus patitur: procul a grege, quem unice amabat, & pro quo millies vitam effudiſſet, illum deſerere coactus fuit, dum crudelis perſecutio ſæviret, cum locorum longinquitas prohiberet, ne illi ferret opem, & ne illum conſolaretur. Quod ſi illius aliquod nuntium ad aures ipſius pervenire poterat, hoc illius magis magiſque dolorem augebat; timebat enim modo, ne ſuppliciorum ſeveritate aliquis adactus thus idolis adoleret; & modo verebatur, ne timor mortis alios diſpergeret, ac tandem ne reliqui facile vincerentur cum nullos haberent a quibus confirmarentur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Nomen, & dignitas Epiſcopi olim erat nomen operis non honoris, & præparatio ad Martyrium.

Me non latet quid poſt S. Paulum doceat S. Auguſtinus, quod videlicet *Epiſcopatus nomen operis eſt, non honoris*. (*Lib. 19. de Civit. Dei.*) Novi quovis tempore verum eſſe illud Tridentinæ Synodi verbum, Epiſcopale onus eſſe humeris, hoc eſt viribus ipſorum Angelorum formidabile. Nihilominus confitendum eſt, circumſtantias, quæ nunc dignitatem hanc ſubſequuntur, longe alias eſſe ab illis, quæ illam comitabantur primis Eccleſiæ temporibus, & ipſius etiam S. Nicolai ævo, quo ad Epiſcopatum attolli, & ſuppliciis deputari unum ferme erat, & idem. Crux, quam gerebant Præſules Prædeceſſorum ſuorum cruore imbuta erat. Ethnicorum furor Epiſcopos quærebat in Amphitheatris feris objiciendos, & electo horum Sacerdotum atque Antiſtitum ſanguine potiſſimum crudelitatem ſuam explere gaudebant. Triginta deinceps Summi Pontifices non tantum ad S. Petri Thiaram, quam ad martyrii ejuſdem coronam ſucceſſerunt; & nulla eſt Eccleſia, quæ Paſtorum ſuorum cruore oblita non fuerit, & quæ non ſervet adhuc pretioſas tot cruciatuum reliquias, quot ad hos fidelium Patres excruciandos tyranni excogitaverunt. Quod ſi tot cædibus feſſus furor parumper ſubſidebat, & ſi abſtinebant tyranni Pontificum clade, hos tamen ad metalla damnabant, alios in exſilium mittebant, alios in deſertiſſimas terras, & ab omni commercio, & frequentia ſemotiſſimas relegabant: quæ exſilia, ut vera dicam, illis erat pœna ipſa morte crudelior. Qui enim pro tuendo Evangelio in medio populi ſui moriebantur, hoc ſaltem habebant ſolatium, quod gregi ſui fortitudinis, atque conſtantiæ præbebant exempla; & libenter prædicationes ſuas proprio cruore ſignabant. Qui vero a tyrannis procul pellebantur ab Eccleſia ſua, & in remotiſſimas plagas relegabantur, ſuſtinebant martyrium eo acerbius, quo diutius, & omni deſtitutum conſolatione. Hujuſmodi Martyrium S. Nicolai, qui de gregis ſui ſinu avulſus, vi coactus fuit illum in prædam relinquere furori Ethnicorum, & Hæreticorum fraudi. Quis referat faſtidia, mœrores, tormenta, cruciatus, quæ in corde ſuo paſſus eſt Pater hic amantiſſimus ſe ipſum a dilectiſſimis filiis cernens abſtractum? Quot lacrimis ſuffuſus metuebat, ne illorum quiſpiam cedens timori ſuppliciorum idolis thus adoleret? & alii parentum ſuorum deliniti blanditiis ſignarent miſeros libellos, quibus coram Deo nocentes fiebant? Quo animi dolore bonus hic Paſtor cernebat rabiem tyrannorum in gregem ſuum ſævientem, quin hinc poſſet opitulari? O quam illi jucundiores fuiſſent rotæ, eculei, pyræ cum ſuis tormentis collatæ! *P. Texier.*

Poſt perſecutionem Eccleſiam tutatus eſt adverſus Arianos. Poſt tranquillitatem Eccleſiæ redditam S. Nicolaus populo cum honore receptus idololatriam, hæreſim & vitia conatur evertere.

Placuit tandem Deo Eccleſiæ ſuæ reddere tranquillitatem poſt infamem hanc tempeſtatem; cumque fides de idololatria retuliſſet triumphum poſt Conſtantini Imperatoris converſionem, rediit noſter fidelis Paſtor ad gregem ſuum, ut illum tutaretur adverſus hæreſim, poſtquam illum contra Ethnicorum furorem ſuſtinuerat; quorum alterum non minoribus illi ſtetit laboribus altero, quandoquidem Arianorum error, qui fere in univerſum Chriſtianum orbem ſe effuderat, non minorem pareret vaſtitatem, quam tyrannorum perſecutiones; cum hoc tamen diſcrimine, quod ſi altera in magno Martyrum numero aliquot faciebat Apoſtatas, altera faciebat Hæreticos; & brevi plures pervertit, quam omnes ſimul perſecutiones a fide deterruerant. Hæc fuit, o Sancte, materia, & exercitatio zeli tui; præſervare gregem ab hac lue, quæ ubique graſſabatur. Nicolaus nullis pepercit laboribus, ut illius curſum inhiberet, & unus fuit ex illis, qui Nicænæ Synodo interfuerunt, ad quam ultra trecentum Epiſcopi acceſſerunt. Ibi ejus enituit fides in ſollicitanda Arii damnatione, & ferunt, cum non poſſet pati blaſphemias illius, unum fuiſſe inter primos qui eum in tanto ampliſſimorum virorum cœtu oppugnarent, atque confunderent; quod illi Imperatoris exiſtimationem, & gratiam conflavit, a quo deinceps habitus fuit tamquam firmiſſima Eccleſiæ columna, & cujus precibus ſe ipſum commendare conſueverat, cum illum jam Sanctum eſſe arbitraretur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta, &c.*

Cum tandem poſt tot tantaſque tempeſtates ſerenitas Eccleſiæ reddita fuit, & illa recentem fere ortum eſt adepta, egreſſa eſt de ſpecubus, & cavernis terræ, ut non amplius patiens, ſed triumphans videretur. Magnifica tunc vero Deo ædificata ſunt Templa, eaque pretioſa ſupellectili ornata, Eccleſia etiam reditibus, immenſiſque opibus aucta fuit; Reges, qui perſecutores ejus fuerant, facti ſunt patres, & nutritii, vel ut melius dicam Filii. Præſules de carceribus, in quorum ſqualore conſenuerant, erepti ſunt, & cum honore ab exſilio revocati. Ita rediit Magnus Epiſcopus noſter, Aſia univerſa eum magnifice excipiente. Diœceſani ejus affluenter ex urbibus, & Pagis egrediuntur; ſe ſe effundunt ſuper exitus viarum, qua tranſiturus eſt, illi cum floreis coronis, feſtiviſque plauſibus obviam ituri. Aſſumit ille iterum regimen populi ſui, & Eccleſia quieſcente indeſinenter ad majorem Dei gloriam, populique ſui ſanctificationem operatur. Ex Lyciæ totius finibus idolorum cultum extrudit, inanium Deorum evertit delubra, & dum infideles ſub Salvatoris pedibus proſternit, ſimul contra domeſticos Eccleſiæ inimicos, hereticos ſcilicet digladiatur. S. Paulus in locupletiſſima recenſione, quam nobis reliquit ampliſſimarum virtutum, quæ in Præſule requiruntur, vult illum illuſtratum eſſe lumine ſanæ doctrinæ, & præditum virili, & generoſa eloquentia ad confundendos hæreticos, & quicumque auſi fuerint veritati reſiſtere: *Ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt arguere.* Hoc autem S. Nicolaus perfecit ad unguem, ſeſe inſignem reddens inter trecentum ac duodeviginti Epiſcopos qui Nicææ in Concilium coacti pronuntiarunt anathema contra Arium, & ſectatores illius. *P. Texier.*

Regit gregem ſuum in Eccleſiæ pace.

Confirmata denique Eccleſiæ pace per Imperatoris Conſtantini auctoritatem S. Nicolaus rediit ad gregis ſui curam, & licet reformidaret tantum onus, dedit illi Deus vires oneri ferendo pares. Sanctus hic Epiſcopus verus fuit vir Dei, omnium bonorum operum exemplum, imperterritus veritatis propugnator, irreconciliabilis hereticorum hoſtis, afflictorum refugium, indefeſſus rudium magiſter, amantiſſimus pauperum pater. Non deſuit Sacerdotibus in illo Sanctitatis exemplar. Solus oris, corporiſque habitus muta erat improbis concio; & vultus ſui mortificatio publicæ pars erat cenſuræ. Sed ubi peccatum corripiebat, quibus fulminibus hunc Dei inimicum non proſternebat? Obſtinatiſſimus quiſque peccator ſe moveri ſentiebat, pudore ſuffundebatur præteritorum ſcelerum, ipſe ſibi fiebat inimicus, & ſi minus vitæ rationem mutabat, hoc inde proficiſcebatur, quod ſe ipſum indignum præbuerat, qui converteretur. *Godeau.*

Bona opera S. Nicolai in Epiſcopatu.

Poſtquam magnus hic Sanctus ad Epiſcopatum vocatus fuit, credidit ſe nihil feciſſe, cum jam omnia pauperibus bona ſua erogaſſet. Impendebat omnes Eccleſiæ ſuæ reddituus; & eleemoſynas omnes, quas a fidelibus recipiebat, in caritatis operibus inſumebat, ut ab egeſtate illos educeret, quibus egeſtas ipſa erat occaſio peccati, ut in Cæleſtem viam revocaret eos, quos neceſſitas inde abſtraxerat, quæ immo in illam eos cogere debebat. Hoc vocari poteſt cum Apoſtolo ſcire compati proximi infirmitatibus, in animarum ſubſidium convertere illud, quod corporum neceſſitatibus inſervire ſolet: quæ res elicit a nobis hanc confeſſionem, numquam viſum fuiſſe Pontificem, & Paſtorem majori zelo, & caritate ſuccenſum, & in gregis ſui neceſſitatibus magis miſericordem. *Ut poſſit condolere iis, qui ignorant, & errant*: Heu! quantum Sanctus hic Epiſcopus aberat ab inflexibili ſævitia Paſtorum conductitiorum, & cupidorum, qui finentes interire gregem ſibi a Domino commiſſum, non cogitant, niſi paſcere ſe ipſos lacte illius, & ejuſdem vellere induere, ut Scripturæ locutionibus utar, hoc eſt qui miniſterium non amant, niſi propter reditus, & dignitatem! Hoc eſt neceſſitatibus noſtris ſubtrahere (exprobrare illis poſſunt oves miſeræ) quod in luxum impenditis; vos famulorum numerum, ſub dignitatis ſpecie tuendum conditis, cum interim negligatis extremam noſtram paupertatem levare, quod primum eſt munerum veſtrorum, & ſi nequaquam ſumptibus noſtris ſplendide vivitis, ſaltem hoc accidit damno noſtro; hæc enim omnia in ſolatium noſtrum ſunt eroganda. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Poteſtas miraculorum, qua auctus fuit S. Nicolaus ad populorum ſolatium.

Quomodonam uſus eſt Magnus hic Epiſcopus noſter facultate, quam a Deo receperat, miraculorum patrandorum? Videte quomodo illam exerceat ſuper homines, & elementa? quomodo procellas mulceat, non ſolum cum adeſt, verum etiam cum longiſſime abeſt? cum Nautæ, ac Inſtitores in vitæ diſcrimine poſiti ad illum confugiunt? Sed parum eſt maris poteſtates mulcere; ſedat etiam periculoſiſſimas, ac indomitas hominum ægritudines animi. Imperator in tres Tribunos vult animadvertere, & illos per arma traducedere: S. Epiſcopi auxilium implorant. Quæ ratio inveniri poteſt ad Principis irritati animum flectendum? Quomodo in regia uſque conclavia aditus aperiri poteſt? quomodo carceres, & calamitoſorum vincula infringi? Hoc tamen mirum in modum S. Nicolaus aſſequitur. Noctu Cæſari apparet facie gravi, ac nitenti; prohibet, ne ille innocentibus mortem infligat; obtinet petita, vel potius ex Imperatoris manu eorum libertatem revehit. Magno huic Epiſcopo egregie applicare poſſumus præclaram illam Sancti Hieronymi ſententiam, homini fidem habenti mundum univerſum mundum eſſe thronorum, ac divitiarum, quoniam de illis per opera miraculoſa poteſt diſponere. Nicolaus vi facultatis hujus miracula operandi de univerſo mundo, tamquam de bonis propriis poteſt diſponere. Agere poteſt, miraculoſe ubilibet eſſe poteſt; uti poteſt creaturis omnibus, tamquam propriis divitiis. *Biroat.*

S. Nicolai caritas ſe ſe extendebat non ſolum ad gregem ſuum, ſed etiam ad eos omnes, qui ſubſidio illius indigebant.

Caritas adeo tenera, & ardens Sancti Nicolai non coarctata fuit ad ſolius gregis ſui neceſſitates: videbatur in corde ſuo miſeros omnes habere, & natus eſſe, ut indiſcriminatim pauperibus omnibus ſubveniret, quod deinde de alio Sancto dictum fuit, qui æque ac ille plenus erat caritate, & miſericordia: *Collegerat in uno corde ſuo animas ſingulorum*; vel uti Sanctus Paulus de ſe ipſo dicebat: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Num aliquis inter vos invenitur, qui patiatur, & ego ſummo compaſſionis affectu non conficiar? Ita Sanctus Nicolaus pauperum neceſſitatibus miſereſcit; afflictorum mœrore contabeſcit, condolet ægrotantium malis, innocentium oppreſſione, præſertim vero publicis calamitatibus eo uſque compatitur, ut ad illos ſublevandos miracula operetur, quod accidit in ſumma annonæ caritate; apparuit enim diviti mercatori procul abeunti, eique perſuaſit ut navim frugibus onuſtam in Lyciam adveheret, ubi certiſſime brevi allatas merces erat venditurus. Nemo unus ignorat quo pacto liberaverit tres Conſtantini Imperatoris Tribunos, qui per inimicorum invidiam falſo accuſati fuerant, & mox injuſta morte damnati. Miſeri enim illi vix S. Epiſcopi auxilium imploraverunt, cujus nomen, & caritas in orbe univerſo celebrabatur, cum Sanctus hic in ſomnis apparuit, vel aliter Conſtantino Imperatori, eique Dei iracundiam minitatus eſt, niſi mortis ſententiam in illos illatam reſcinderet, abrogaret, antiquaret. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quomodo hic Sanctus adhuc poſt mortem beneficus eſt per humorem miraculoſum ex oſſibus ejus manantem?

Magni hujus Epiſcopi Caritas erat adeo univerſalis, ut ipſo nondum ad ſuperos profecto, ſe ſe in miſeros omnes, & in omnia etiam tempora extenderet: perſeverat enim ad hæc uſque tempora in illius monumento, quod eſt ad inſtar fontis vitæ, & valetudinis ægrotantibus, qui ad illud viva fide confugiunt. Et quaſi dum viveret nequaquam expleviſſet omnem immenſæ caritatis ſuæ latitudinem, explet illam poſt mortem, ſtratus in tumulo per liquorem miraculoſe manantem ex oſſibus ejus, qui præſentiſſima eſt malis omnibus medicina; ut quamdam æternitatis ſpeciem tribuat miſericordiæ, & Caritatis ſuæ per tot ſæcula præſtans ſubſidia, quæ miſeris ſuppeditabat, dum viveret. Hoc miraculi genus ſpecies eſt immenſitatis, atque æternitatis miſericordiæ ejus. Hoc in vita facere non potuit, fecit poſt mortem. Nimis parum vixit, ut ſuam exerceret caritatem; & miſericordia ejus perget adhuc poſt obitum ſuum. Hic liquor manabit jugiter de corpore illius, & miraculum erit ſemper ſubſiſtens. Eleemoſynas ſuas intra limites aliquarum Provinciarum continuit; poſt mortem extendet beneficia ſua quocumque liquor iſte feretur; & ſatis non eſſe putans manibus ſuis eleemoſynas erogare, cum hoc liquore ex omnibus artubus ſuis manantem ſemper caritatem exercebit. *Ex variis Auctoribus.*

Quanam in re peculiariter imitari poſſimus magnum hunc Sanctum.

Quid reſtat ad complementum gloriæ magni hujus Epiſcopi, niſi quod conemur ſequi exempla admirabilia, quæ nobis reliquit, & præſertim hoc benefaciendi ſtudium, quo tot ſanctas artes excogitavit, ut proximi neceſſitatibus opem ferret. Non omnes homines vocati ſunt, ut ille, ad Infulas, ut ſint Paſtores gregis dominici; ſed omnes id eſſe poſſunt, ac debent, ſi hoc ſpectetur officium miſerendi infelicium, & caritatem exercendi erga illos, qui noſtro indigent ſubſidio. Non alia opus eſt vocatione ad glorioſum hoc munus, quam hæc Spiritus S. verba: *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor.* (*Pſ. 10.*) Divina Providentia pauperum, & miſerorum victui conſuluit, imperans illis, qui rerum affluentia lætantur, ut illis opitulentur. Apud divites, quos hujus terræ bonis cumulavit, depoſuit opes, in miſerorum ſubſidium adhibendas. Patent falſi prætextus, & artes amoris proprii, & falſæ rationes, quibus divites utuntur, ut adeo urgentem neceſſitatem eludant, & limites ipſi, intra quos hæc arctari conſueverit. Neceſſarium, ſuperfluum, neceſſitates communes, & extremæ; vocabula, quæ ideo inventa creduntur, ut excuſetur inani colore cordis duritia, atque ut locupletes ab hoc ſe munere diſpenſent. Hæc relinquamus, & ipſam caritatis cauſſam expendamus. Vis ne eſſe oculus cæco, ut loquitur S. Job, pes claudo, baculus infirmo, & quodammodo ſalus, & Salvator animæ miſerorum? Ad exemplum Magni Nicoli, & ſecundum Apoſtoli conſilium, opus eſt, ut accipias viſcera miſericordiæ ad eos omnes reficiendos, qui tua ope indiguerint. Hoc pacto eorum Paſtor eris, ubi pro virili parte neceſſitatibus corporis, animæque proſpexeris: & tibi Dei miſericordiam conciliabis, & ſecuritatem aliquando coram illo extremi judicii die prodeundi. *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c.*

PRO S. GENOVEFÆ PANEGYRICO.

MONITUM.

CUM Gallia honori S. Genovefæ deſerviens debitum illi cultum adhibere feſtinat, non mediocri afficior voluptate videns mihi tam operis mei ordine, quam animi grati cauſſa ob multa, magnaque in me collata beneficia, Concionatoribus ſuppeditanda eſſe argumenta, quibus elogium illius valeant exornare.

Libenter hic primus elogium hoc texere inciperem, niſi illud jam in lucem emiſiſſem, quod tamen non perhibebit qui minus aliquot ejuſdem locos in hæc inſeram collectanea inter auctores, qui felicius Sanctæ hujus characterem attigere.

Cum in hujus vita multa acciderint facta, virtutes, & ſingulares eventus, ut inde proprius, & peculiaris exornari panegyricus valeat, quin excurſus fiat in ea, quæ cum aliis Sanctis mulieribus ſunt communia, puto, paſtoritiam illius conditionem, ejuſque dignitatem Patronæ Regni florentiſſimi, & Civitatis, quæ inter præcipuas totius orbis celebratur, gloriam, eo quod fuerit unum ex validiſſimis adminiculis, quibus Deus uſus eſt ad tanti populi converſionem: actiones ejuſdem in tanta generis obſcuritate præclaras: alterna laudum, & opprobriorum vices: Maieſtatem, perſecutiones, quibus vita illius diviſa fuit, reverentiam, quam Reges, atque Optimates omni tempore ad illius tumulum teſtati ſunt; præſertim vero miracula fere perennia & præſidium, quod tandiu præſtitit Lutetiæ Pariſiorum, ſuggerere poſſe ſatis amplam materiam Elogio characteris omnino ſingularis.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum Synopſis hujus Argumenti.

Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, ut ea, quæ ſunt, deſtrueret. 2. ad Cor. 1.

I. TAlis eſt, fideles, ordo divinæ providentiæ; & ita oblectatur Deus ſupremam magnitudinem, ac omnipotentem virtutem ſuam oſtendere. Si ad magna operanda magnis uteretur perſonis; mirabilia ejus opera accepta referri poſſent ſapientiæ, vel opulentiæ, vel poteſtati, atque virtuti miniſtrorum, quorum opera uſus eſt. Sed Gentium Apoſtolus, inquit, ne quis inani gloria intumeſcat coram Deo, non divitibus, non ſapientibus ſecundum carnem, non potentibus, neque nobilibus illum uti ad exequenda conſilia ſua; immo e contra id aſſumere quod minimum eſt, ut omnes humanas poteſtates confundat; & ſecundum vim verborum Apoſtoli, inquirere in ipſo nihilo id, quod ſupra terræ magnitudines cupit attollere. *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea, quæ ſunt, deſtrueret.* Quid ſecundum Mundum erat Genovefa? puella ſimplex omnibus ſcientiæ luminibus deſtituta; puella infirma, & ſine poteſtate; ovium cuſtos per genus ſuum vel per familiæ ipſius lapſum ad infimum ſtatum redacta. Sed triplici verbo quod tria magna complectitur miracula quæ Sermonis hujus partitionem conſtituent, vobis oſtendam.

1. Simplicitatem Genovefæ ſuper omnem Sapientiam mundi magis illuſtratam.

2. Infirmitatem Genovefæ potentiorem omni mundi fortitudine.

3. Et ſi dicere fas eſt Genovefæ vilitatem quavis mundi majeſtate honoratiorem. Hæc erit hujus Sermonis partitio, & elogii argumentum. *P. Bourdaloue.*

II. *Multa filiæ congregaverunt divitias: tu ſupergreſſa es univerſas.*